





DISPUTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA  
POSTERIOR

DE

RAPTVM ET CRVCE  
PAVLI

VNA CVM BREVI APPENDICE AD PRIOREM  
PERTINENTE.

---

QVAM

PRAESIDE

VIRO SVMMÆ REVERENDO EXCELLENTISSIMO  
DOCTISSIMO

IOANNE GEORGIO KNAPP

THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.

D. SEPT. A. CXCICCLII.

IN REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

CHRISTIANVS ALBERTVS DOEDERLIN

OETTINGENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS ORPHANOTROPHEI.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
POSTERIOR  
DE  
RAPTV ET CRUCE  
PAVLI  
VNA CVM ERRE APPENDICE AD PRIORIS  
PERTINENTE

AVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMMO REVERENDO EXCELLENTISSIMO  
DOCTISSIMO  
IOANNE GEORGIO KNAPP  
THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
D. SEPT. A. CIRCCELL.  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PUB. DISSENT.  
CHRISTIANVS ALBERTVS DOEDERLIN  
GETTINGENSIS

IN AEDIBVS  
LITTERIS ORPHANOTROPHII



§. I.

**P**ostquam in prima disputatione de raptu et cruce Pauli primo loco probauimus, Paulo ipsi, non alii cuidam, contigisse, quae (2 Cor. XII. c. i. sequ.) pluribus enarrat, deinde vero ipsam orationem Apostoli dilucide, ut quidem videtur, interpretati sumus; tertium adhuc restat, huic disputationi a nobis reseruatam atque in eo positam, ut inquiramus cum in *egen- ta* illa, siue indicta, quae Paulus in coelo tertio ac paradiso audiuit, ac forte etiam vidit: tum quoque in singulare calamitatis genus, quo se eo consilio adfectum adfirmat, ne animus tantare efferretur. Duplex itaque res, quae adhuc explicanda nobis est, orationem quoque nostram bipertitam facit. *Prima* igitur pars vniuersae disputationis de secundis, quae Paulo euenerunt, exponet; *altera* vero de aduersis, vtili admodum, ipso Paulo non dissidente, vicissitudine, laetiora consecutis. Habet enim has vices conditio mortalium, atque etiam sanctorum in breui hac plenaque insidiarum vita, ut sapientissimo Dei temperamento aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur, ne aut in rebus prosperis atque ad voluntatem fluentibus animum efferant, aut in aduersis despondeant; ad vtrumque enim deprauata

uata iam in praesenti hominis natura, prouti res sese dant, admodum procliuus est. Ex quo factum est, ut prouida Dei cura eam salutis consequendae ac retinendae viam fecerit, quae utrique malo medeatur.

## §. II.

Primo igitur loco disquiri oportet curatius, de *agentis* illis, quae Paulus audiuit, ac forte etiam vidit. Ante vero, quam ad rem ipsam accedamus, merito quaeritur, utrum etiam in illud inquirere fas sit, quod Apostolus *agentis*, id est, ut suo loco ostendimus, ita comparatum dicit, ut id nemini eo usque elocutus sit, simulque etiam se id in posterum facturum esse negat. Id quod eo magis nos mouere debere videtur, quoniam minime spernenda magnorum interpretum, ingenii, doctrinae, meritorum ac modestiae laude commendabilium auctoritas accedit; qui eam ipsam ob causam et ipsi abstinere ab omni inquisitione consultum duxerunt, et etiam aliis eiusdem rei auctores fuerunt. Quae cum ita se habeant, praemonenda nonnulla censemus, ne temere inuestigare velle videamur, quae spiritus Dei per Paulum loquens plane ignorari voluisse videtur. Verum enim vero, licet in coniciendo et inuestigando omnem temeritatem omnino fugiendam esse nos quoque persuasum habeamus; minime tamen nefas putamus, in hanc rem modeste inquirere, eorumque exempla sequi, qui idem ante nos fecerunt, nec aliorum auctoritate, quos tamen ideo minime reprehendimus, sed deterreri sunt passi, quo minus de rebus illis cogitarent; modestiam non tam in eo violari rectissime rati, si caute et quatenus aliqua vestigia occurrunt, inquiretur, quam si id aut temere fiat, aut importune cuiquam obtrudatur, quod nobis in re dubia ac difficili facillimum atque expeditissimum videtur.

## §. III.

Quod ut eo melius constet, omnesque scrupuli euellantur, primo illud obseruamus, spiritum sanctum nonnulla tamen de tota re nobis patefecisse, quam facile totam silentio premere potuisset, si nihil de *agentis* illis cogitari aut dici voluisset. Cum ergo aliqua tamen dicta sint, fas etiam est inuestigare certo modo,

modo, quae quidem non clare et distincte exposita, sed tamen breuiter acta sunt. Deinde Paulus quidem, vt in prima disputatione ostendimus, adfirmat, se audita in raptu illo nemini diserte aperuisse, nec in posterum id sibi per graues causas licere, nullum vero in tota illius oratione vestigium deprehendimus, quod nos eo deducat, vt nobis persuadeamus, cum aut Corinthios aut alios lectores plane prohibere voluisse, quo minus ipsi in illa modeste inquirerent, et per aliquas coniecturas existimarent, ex quo rerum genere saltem fuerint, quae ipse tacita habere constituerat. Accidere enim omnino potest, vt quis ex iustis atque idoneis causis aliquid dicere ipse nolit, imo ne deberet quidem, quod tamen ab alio et inuestigari et dici reatum et integrum esse potest. Sublato ergo illo, quod aut nos ab instituto reuocare, aut illud apud alios in improbitatis ac temeritatis suspicionem adducere posset, ad rem ipsam accedimus. Quo vero omnia decenti ordine fiant, primo illas sententias exponemus, quae nobis vel plane a vero aberrare, vel saltem minus verisimiles esse videntur: Deinde eam explicabimus, quantumque in tali argumento fieri potest, prolatis in medium rationibus confirmabimus, quae nobis, omnibus rite expensis, optima ac verisimillima videtur. Quod itaque ad primum attinet, fieri sane in huiusmodi re aliter non potest, quam vt interpretes in varias ac discrepantes sententias ingrediantur.

## §. III.

Fuerunt ergo primo; qui cogitent, *agere illa enarra*, a Paulo in coelo tertio audita, ipsas doctrinas euangelicas fuisse, quas ibi extraordinario plane modo perceperit, vt et ipse eas certissime exploratas haberet, et aliis eo maiori cum fiducia tradere posset; ex quo in prouerbi consuetudinem abiit, *Paulum theologiam suam didicisse in coelo tertio*. Duo vero maxime argumenta huic sententiae verisimilitudinem aliquam conciliare videntur, quorum alterum a temporis, in quod res gesta incidit, ratione: alterum vero a variis ipsius Pauli effatis petitur. Temporibus itaque ratio tum quidem apprimè videtur conuenire,

uenire, si, quod nonnullis placuit, ponamus, raptum illum singularem, Paulo Damasci statim in primo reuocationis ad saniores mentem initio contigisse; quippe quo tempore visum illi aliquid diuinitus obiectum esse, ipsa Domini verba clarissime docent, *et vidit ex occurrere in viso*, inquit, *virum nomine Ananiam ingredientem imponentemque sibi manum, ut visum recipiat.* (Act. VIII, 12.) Quod si ergo visum hoc cum rapto, de quo nobis sermo est, coniunctum fuit, verisimile admodum creditur, Paulo illud tum maxime in coelo et Paradiso significatum esse, quo ei tamquam futuro apostolo ac testi Iesu Christi quam maxime opus erat. Iam vero nihil magis necessarium ei illo tempore fuisse videtur, quam ut ea edoceretur ipse, quae cum ad ipsius tum ad aliorum salutem quam maxime pertinebant; cuiusmodi sine dubio ipsum euangelium Christi erat, ad cuius proinde cognitionem accuratissimam eum primo quoque tempore deduci oportebat. Verum enim vero, licet haec non sine aliqua specie dicantur, accuratius tamen considerata tantum momenti non habent, ut ad sensu comprobanda videantur. Non solum enim graues difficultates circumstant hanc sententiam ex temporis rationibus ductae; sed ex eo quoque illa non verisimilis videtur, quoniam vix credibile est, raptum adeo singularem Paulo illo iam tempore contigisse, quo baptismo nondum initiatus erat. Nec videtur illo tempore Dominus cum ipso aut vigilante aut dormiente per se plura egisse, quippe qui in prima apparitione statim eum, quid iam porro a se fieri oporteret, percunctantem, ad homines remisit, ex quibus voluntatem illius amplius cognoscere deberet. Ut taceamus, vix credibile esse, Lucam actum apostolicorum auctorem visum illud commemorantem, nihil plane de rapto illo in coelum tertium dicturum fuisse, si cum illo viso coniunctus fuisset; cum tamen posterior ad Corinthios epistola illo tempore iam dudum scripta esset, quo Lucas actus apostolorum litteris consignauit: iam vero Lucas nec (Act. VIII.) vbi ipse conuersionem Pauli et resque simul gestas narrat, nec (c. XXII et XXVI.) vbi Paulum ipsum gesta illius temporis explicantem inducit, ne minimam quidem mentionem

nem



nem raptum in coelum ac paradifum, auditorumque ibi *σηματων αεθρων* mentionem iniicit.

## §. V.

Progredimur vero ad alterum argumentum pro confirmanda sententia, de euangelio, Paulo in coelo tertio patefacto, proferri solitum, atque ex variis ipsius apostoli effatis ductum, quod sine dubio maius momentum huic sententiae adfert, si satis firmumprehenditur. Paulus videlicet haud raro sollicitè inculcat, et quidem grauissimis de causis, se euangelium suum non ab hominibus, sed ab ipso Domino accepisse. Loquitur porro passim de mysteriis, superioribus temporibus silentio et obscuritate inuolutis, sibi vero patefactis. Ipsum audiamus apostolum in eam sententiam differentem, vt eo magis adpareat, atque estimari queat, vtrum aut quatenus hæc effata rem aut conficiant aut resellant? ad Galatas itaque, qui per obtrectatores ab ipso, aequè atque Corinthii, admodum alienati ac turbati fuerant, scribens (cap. I, II. 12.) *notum vobis facio*, inquit, *fratres, euangelium a me nuntiatum non esse secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque edoctus sum: sed per patefactionem Iesu Christi accepi*. Apostolus hic diserte ac perspicue negat, se ab hominibus disciplinam rerum sacrarum accepisse, aut euangelium ab iis didicisse: sed potius soli Domino vnice omnia accepta refert, a quo sine cuiusquam mortalium interuentu atque opera acceperit. Et ne quid dissimulemus, quod ex hoc effato ad confirmandam sententiam expositam duci potest, minime prætermittendum videtur, quod in illo ipsis illis *αποκαλυψεως Ιησους Χριστου* vocabulis vitur, quæ in exordio narrationis de raptu suo ponit; *veniam enim*, inquit, *ad visiones et αποκαλυψεως κυριου seu patefactiones Domini*. Nec minus hanc opinionem confirmare videntur loci aliquot in Epistola ad Ephesios occurrentes. Vbi apostolus (c. III. 3) *κατα αποκαλυψιν*, inquit, *seu secundum reuelationem notum mihi fecit mysterium illud - - quod in ceteris aetatibus non notum factum est hominibus, sicuti nunc patefactum est sanctis apostolis illius et prophetis in spiritu*.

## §. VI.

Sed vt haec minus attentos facile mouere atque ad hanc sententiam perducere possent; ita tamen facile cadere animaduertentur, si verba apostoli cum in locis modo laudatis, epistolarum ad Galatas et Ephesios, tum in narratione raptus, eorumque, quae ibi contigerunt, debita animi attentione consideremus. Nam quod primo ad locos, ex epistolis ad Galatas atque Ephesios, prolatos, aliosque similes passim occurrentes, attinet, Paulus quidem in iis de euangelio suo sibi non ab hominibus, sed a Domino, tradito, certisque mysteriis sibi patefactis loquitur: at in coelo tertio ac paradiso illud factum esse, nusquam ne quidem subindicat nedum discrete dicit. Vt taceamus, in loco, ex epistola ad Ephesios supra a nobis translato, apostolum non sibi soli, sed etiam reliquis apostolis ac prophetis noui testamenti mysterium, de quo ibi sermo est, patefactum, dicere. Iam vero reliquis apostolis ac vatibus (\*) per raptum in coelo tertio illud patefactum esse nemini in mentem venit nec facile venire potuit, cum ipse Paulus per spiritum sanctum de coelo quidem sed non in coelo ipsis donatum, id factum esse doceat; ex quo admodum probabiliter conficitur, rem illam

ipfi

(\*) Vatum nomine aperte hoc loco non intelliguntur vates V. T. quorum scripta partim in volumine V. T. habemus, sed vates N. T.; qui etiam alibi, quando varii doctorum N. T. ordines commemorantur, apostolis adiungi solent, (cf. 1 Cor. XII. 28. Ephes. III. 11.) quod cum extra omnem dubitationem positum sit, simul id quoque ex eo adparet, prophetas, quorum apostolis (c. II. ep. ad Ephesios c. 20) meminit, pariter non esse prophetas V. T. sed noui; id quod etiam ex eo adparet, quod prophetas apostolis etiam hic postponit, haud obscure ordinis quoque ratione docens, eos apostolis inferiores fuisse. Interim paulo obscurius est, quanam ratio horum vatum fuerit. Eximium illorum munus ac donum, magnanque eius in ecclesia apostolica dignitatem atque utilitatem fuisse, ex eo satis constat, quoniam ordinariis ecclesiae doctoribus locis supra citatis non solum anreponuntur, sed quoniam Paulus 1 Cor. XI. de donis spiritualibus eorumque comparatione agens, prophetiae donum tamquam ecclesiae vtilissimum maxime commendat et praecae aliis expecti iubet.

ipsi Paulo eodem modo, atque ceteris innotuisse. Deinde verba apostoli de raptu suo, auditisque in illo statu a Domino, plane non conueniunt huic sententiae. Quae apostolus in coelo tertio audiuerat, *agentes* erant, siue eousque indicta non solum, sed etiam in posterum nemini dicenda. Mysteria itaque ac doctrinae euangelicae esse non potuerunt, quas ibi audiuit; quippe quas enuntiare non solum licebat, sed etiam oportebat: eo quippe consilio Paulo omnino patefactas, vt non solum ipse iis rite ad salutem vteretur, verum etiam illas aliis traderet. Ex quo fit, vt in omnibus illis locis mentioni euangelii sibi patefacti, mentionem etiam illius nuntiati ac porro nuntiandi statim subiungat, eoque nos satis edoceat, euangelii mysteria sibi aperta ex eorum numero minime esse, quae in coelo tertio audita, mortalium cuiquam patefacere atque enuntiare nec liceat, nec consultum sit. Viderunt hoc multi interpretes, eamque ob causam in eam sententiam sunt ingressi, Paulum in coelo tertio ac paradiso non quidem totam euangelii disciplinam accepisse, sed tamen mysterium aliquod singulare eousque in ecclesia incognitum, ad eam tamen pertinens, ex Domino audiuisse, quod tamen postea non tacendum sed omnino enuntiandum fuerit, qua de re infra discipiemus.

## §. VII.

Mittamus ergo iam primam sententiam, satis adhuc, vt opinamur, confutata, et pergamus ad reliquas, quae interpretibus nonnullis se probauerunt. Fuerunt ergo nonnulli, quibus probabile visum est, *agentes* illa *enuntata*, in coelo tertio audita, ex genere rerum futurarum fuisse, et quidem ad fata ecclesiae N. T. pertinentium, quae vel ante Paulum nemo cognouerit, vel quae ipse saltem nemini dixerit, aut temere dicere debuerit; cum talia fuerint, quae non omnibus ad salutem scitu necessaria essent; neque enim iure dubitari posse, quin Paulus et alii longe plura de huiusmodi rebus cognouerint, quam aut scripserint, aut nobis cognoscere datum sit. Quod si igitur nostrum quis de hac sententia iudicium requirat, in re ipsa, quae dicitur, nihil reprehendimus, quod a verisimilitudine absit. Iure enim

enim dubitari vix potest, Paulum longe maiorem harum rerum cognitionem habuisse, quam in vulgus enuntiare consultum duxit. Interim tamen si commodior adhuc et aptior sententia occurrat, sicuti nobis in promptu esse videtur, merito illa anteponenda est: imprimis cum nonnulla sint, quae nobis superiorem illam modo expositam minus verisimilem efficiant. Primo enim non satis apparet, si res ita se habeat, prouti exposita est, cur Paulus eam ob causam, ut de fati ecclesiae militantis aliquid cognosceret, in coelum raperetur, cum id in terra aequae facile fieri potuisset. Videtur vero omnino causa singularis subesse, quod *aegrotis* illa *emissa* in coelo debuit audire. Deinde in hac sententia minus perspicitur ratio grauissimae calamitatis, qua apostolus adficiendus erat, ne animum efferret: aliis enim viris Dei, Iohanni praecipue, pariter occulta valde ac sublimia ad futura ecclesiae fata pertinentia patefacta sunt, nec tamen legimus, adeo singulari calamitatis genere ideo fuisse adfectos. Quam ob rem persuasum nobis habemus, eam sententiam anteponendam esse, si qua inueniri possit, quae causas vtriusque rei melius expediat.

## §. VIII.

Progredimur igitur nunc ad aliam sententiam de verbis illis *aegrotis*, in coelo tertio auditis, quam in medium protulit vir cl. IOH. CHRISTOPHORUS HARENBERGIVS, magnoque eruditionis apparatu defendere conatus est. (in Biblioth. Bremensi Cl. VI. fasc. 4. pag. 611.) Ante vero quam ipsam sententiam suam exponat vir doctus, consultum duxit, nonnulla praemunire, quae omnino necessaria sunt, si illa aliis persuaderi debeat. Est vero inter illa id praecipuum, Paulo in coelo tertio dicta, non tam ad ipsum Paulum, quam ad vniuersam ecclesiam eiusque salutem pertinuisse, ac proinde non tacitauisse habenda, sed potius enuncianda. Quod ut obtineat, duplici argumento vtitur, (l. c. p. 623 seq.) primo scilicet monet, Paulum visum hoc insigne ad redarguendos refutandosque pseudapostolos commemorare, ut planum faciat, illos sibi neutiquam esse pares, quippe quibus tanta mysteria, ad salutem ecclesiae pertinen-

pertinentia, a Domino patefacta non sint, ac sibi. Iam vero Paulum inepte, vel saltem inconsulte facturum fuisse, si ad obtreclatores reprimendos mysteria in coelo tertio audita allegasset, et quidem ita comparata, vt nec eousque illa elocutus sit, nec in posterum eloqui integrum fuerit; pseudoapostolos enim mortalium pessimos statim in promptu habituros fuisse, vana ista et falsa esse, quae iacter, quoniam res ipsas sibi patefactas in medium proferre non audeat. Deinde mysteria illa, quae Paulus in coelo tertio audiuerit, non amplius occulta, sed satis nota tum fuisse, ex eo probare contendit, quoniam alioquin apostolus ob hanc reuelationem non potuisset a pseudoapostolis tot dira vulnera pati, nisi eam ex nutu diuino effectui dedisset, insigni ideo gloria dignus, qua se efferre pot. iset, si libuisset. His praemunitionis sententiam tandem suam his verbis comprehendit (l. c. §. X. p. 629) *singulari me Deus dignatus est reuelatione quatuordecim ab hinc annis, quippe quem naturali animi corporisque statu dimotum, interno impleuit adflatu, clarissima et maxime sublimi reuelatione me docens primarium apostolum et christianum, gentium ad Christum citra caeremonias iudaicas conuersionem, maximum mysterium, et ab orbe condito huc usque non vulgatum, sed aegyptiorum, quod non licebat nudo homini, sed initiato summoque apostolo eloqui.* Facile ex hac sententia hunc in modum exposita adparet, ex viri cl. interpretatione Paulum omnium primum fuisse, cui in principiis N. T. res illa singularis, iudaeisque non solum peruerfis sed etiam conuersis maxime mirabilis et tantum non inuisa patefacta fuerit, ethnicos in societatem Christi atque ecclesiae esse recipiendos, citra ritum iudaicorum, et imprimis circumcisionis, susceptionem; factum vero id esse existimat illo ipso tempore, quo Paulus et Barnabas Antiochiae commorantes instinctu spiritus sancti ad ethnicos abire, iisque euangelium nunciare iussi fuerant, quam rem Lucas Act. XIII. commemorat. Quoniam vero vir doctissimus praeuidit, obiici sibi posse, falsum esse, rem illam singularem Paulo omnium primo fuisse reuelatam; cum sacra historia perspicue doceat, Petrum iam longe ante, cum ad nuntiandum euangelium ad Cornelium centurionem illum Caesareensem,

K

mit.

mitteretur, ea de re et quidem etiam per visum edoctum fuisse, ne dubitaret hominem non circumcisum in consortium ecclesiae recipere: ita se ex hac difficultate expedire conatur, ut primo neget, Cornelium fuisse ethnicum, contra vero contendat, profelytum portae fuisse, ac proinde certo modo inter Iudaeos numerandum: deinde Paulum ipsum testem citat, qui (Ephes. III. 1. 3.) diserte nos doceat, sibi primum mysterium de adducendis ethnicis apertum esse: nec denique obstare putat ipsius Petri vocem (Act. XV. 7.) *nosſis fratres*, inquentis, *quod inde a diebus primis Deus inter nos me elegerit, ut per os meum ethnici audirent verbum euangelii et crederent*: verba enim *διὰ τῆς σοφίας μὲν* idem significare, ac *consilio, ductu, nutu meo*, quemadmodum *os Dei* frequentissime in sacris idem sit, atque effatum Dei.

#### §. VIII.

Liceat vero nobis iam ea in medium proferre, quae nobis huic sententiae repugnare, immo eam plane labefactare videntur. Primo ergo loco veremur, ut illud satis firmum sit, quod virum doctissimum fundamenti quasi loco ponere vidimus, *αἰγιότα* scilicet illa tum, cum Apostolus haec scriberet, satis iam nota fuisse, ac proinde *αἰγιότα* tantum, siue mysteria homines fugientia, appellari, respectu superiorum temporum, quibus Paulo nondum patefacta erant. Argumenta enim viri cl. quantum nos perspicimus, id non faciunt. Quod enim ad primum attinet ex eo ductum, quod obrectatores, nisi res satis nota omnibusque explorata fuisset, veritatem rei in dubium vocare, et suo quasi iure postulare potuissent, ut sibi patefacta enuntiarent; sequentia circa hanc rem attendenda existimamus. In prima disputatione iam pluribus causas ostendimus, cur Apostolus tam parce de reuelatione valde inusitata loquatur: faciebat id et sua, et aliorum, imprimis vero Corinthiorum, causa; sua, ut eo magis elationis periculum caueret, Corinthiorum vero aliorumque causa, ne nimia illum admiratione adficerent. Ad pseudo-apostolos redarguendos c. XI. iam satis multa dixerat et c. XII. adhuc dicit, ita comparata, ut ex iis satis appareret, eos sibi neutiquam

tiquam esse pares. Sufficere illa poterant aequis hominibus ac docilibus inter Corinthios; quibus apostolus tota oratione sua maxime consulere volebat, non adeo de pseudopostolis ipsis dedocendis laborans; qui insanabiles plane fuisse videntur, quibusque nihil satis erat, quod Paulus aut dicebat aut faciebat, ita ut nulla vel saltem admodum exigua spes de illis ad sanitatem reuocandis superesset. Accedit, quod apostolus, sicuti pariter in priori disputatione monuimus, eam imprimis ob causam mentionem huius raptus facere coactus est, ut calamitatem ideo sibi adlatam commemorare posset. Propositum enim ipsi erat, ut dicere docet, non tam laetis hominumque iudicio gloriosis et magnificis, quam tristibus, ingratis, et ad deprimentum pertinentibus, gloriari. Quibus tandem hoc adhuc adiungimus, cl. Harenbergii sententiam in eandem difficultatem incurrere, si qua est, quam ipse nostrae obiicit: nam si reuelatio mysterii illius de euangelio ethnicis nuntiando soli Paulo facta est, nemine alio tum conscio, et si ideo tota illa res per Paulum maxime emanauit, illoque auctore a reliquis doctoribus probata est; pseudo-apostoli sane, calumniandi cupiditate flagrantes, pariter dicere potuissent, totam illam reuelationem esse falsam atque ab apostolo temere confictam, ut aliis praestare videretur nouumque morem induceret. Id quod sine dubio etiam certissime facturi fuissent bipedum nequissimi, si, quod verisimillimum omnino est, iisdem falsis opinionibus iudaicis de necessitate circumcissionis aliorumque rituum, etiam apud Christi discipulos, imbuti fuerunt, atque illi, qui Galatas perturbabant. Fuit enim ille, ut ex historia dilucide apparet, tantum non omnium, in ecclesia apostolica minus recte sentientium, error, qui ex Iudaeorum numero in Christi disciplinam se contulerant; ex quorum genere pseudoapostoli, qui se in Corinthiorum animos insinauerant, omnino fuisse, ex ipso Pauli testimonio certissime constat. Alterum viri docti argumentum, quo probare conatur, *contra* illa *enim* illa tempore, cum Paulus hoc scriberet, satis nota fuisse, valde imbecillum est; dum nimirum contendit, Paulum ob hanc ipsam reuelationem dira multa a pseudoapostolis iam a lon-

go tempore perpeſſum fuiſſe, ac proinde rem ipſam, quam ſibi patefactam adfirmaverit, ſatis notam eſſe debuiſſe. Quis enim non videt, illud hic pro argumento rei probandae poni, quod ipſum demum probari oportet? nuſquam enim dicitur aut legitur, apoſtolum propter ea myſteria vexatum eſſe a pseudoapoſtoliſ, quae in coelo tertio a ſe audita contenderit. Vexatum eſſe propter ſententiam de ethnicis ad ritus iudaicos ſuſcipiendos non cogendis, ſaepe quidem ac diſerte dicitur; at illud ipſum dogma, quod ipſi tantam apud Iudaeos invidiam conſtat, in coelo tertio illi traditum, et ipſum illud *αεθρον* eſſe, de quo diſputatur, non aequè diſerte dicitur, ſed illud ipſum eſt, quod aliunde demum probari oportet.

## §. X.

Iis ergo remotis, quae viri cl. ſententiae praemuniuntur, arcem quaſi illius aggrediamur. Propter duo vero cauſarum genera minime nobis ea probatur. Primo enim ipſa verba apoſtoli durius ad illam accomodari poſſe videntur; deinde res ipſa atque hiſtoria apoſtolica repugnat. Quod ad primum cauſarum genus attinet, multa occurrunt duriora et ad probandum difficilia. 1) Longe petita et nimis dura eſt interpretatio verborum, *ανθρωπος εν Χριστω*, quae ex viri cl. opinione primarium ſummumque non ſolum chriſtianum, ſed etiam apoſtolum ſignificant; quis vero hoc aut ex ipſo verborum naturali notione, aut ex ſimilium collatione facile intelliget? 2) *αεθρα* Viro docto ſunt myſterium ſaepe commemoratum, quod *αεθρον* dici contendit, quoniam ante hanc reuelationem Paulo factam nemini id patefactum fuerit. Speciem aliquam, ceteris tamen etiam paribus, haec interpretatio haberet, niſi apoſtulus ſtatim verba, *κα εχει ανθρωπω λαλησαι*, ſubiiceret: quibus manifeſto ſignificat, ne in poſterum quidem illa eloqui cuiquam ſibi licere. Quod telum vt effugiat vir doctus, apoſtolum verbis modo laudatis id dicere contendit, non licuiſſe nudo homini, ſed tantum initiato ſummoque apoſtolo illa eloqui. Sed dubitamus, hanc interpretationem aperte nimis longe petitam multis perſuaſum iri: nobis ſaltem haud perſuadetur. Primo enim vix probari pote-

rit



rit; vocabulum ἀνθρώπος significare hic hominem, vt explicat; non initiatum, non renatum: deinde, si re vera hanc notionem haberet, ipsa tamen apostoli sententia durior futura esset et vix cum rebus gestis constare posset. Iure enim quaeri potest, cur homini etiam non renato non liceat mysterium illud eloqui? postquam enim semel patefactum, rebusque ipsis veritas illius per totum terrarum orbem confirmata erat, omnes sane illud agnoscere, credere, atque etiam profiteri non solum licebat, sed etiam oportebat. Quod si vero vera Pauli sententia tandem eo debet redire, (vt vir doctissimus pag. 629 indicare videtur,) vt id dicere velit, hominem non renatum, Iudaeum imprimis, nimia sui gentisque opinione inflatum, non satis intelligere ac persuasum habere posse illud mysterium, res quidem, quae adfirmatur, per se verissima ipsoque euentu comprobata erit, sed simul mirandum est, apostolum rem his verbis expressisse, ac non potius dixisse, *α ἀνθρώπος ἔδεχεται, καὶ ἔδωκεται ἡρώα* i. e. *quae homo non renatus non satis capit, et non potest perspicere*, vt in priore epistola ad Corinthios (c. II. 14.) in re valde simili loquitur. 3) Si *αγεντα* illa fuerunt mysterium illud de ethnicis, scilicet necessitate rituum Iudaicorum non adstringendis, ac praeterea nihil aliud; plane non apparet, cur ad illud reuclandum magis fuerit opus raptu aliquo in tertium coelum, quam ad cetera euangelii mysteria Paulo aperienda, quae sane non in raptu tali, sed alio modo a Domino cognouit. 4) Apostolum, vt in prima disputatione ostendimus, (p. 45 seqq.) tacto breuiter hoc raptu, negat se plura ac distinctiora de iis rebus quae audiuerit in illo, dicere velle, sed parce hoc argumentum tractare; ex quo perspicue sequitur, talia fuisse, de quibus Paulus pauca locutus et sit, et loqui voluerit. Atqui ex hoc rerum genere mysterium illud de ethnicis non erat; quippe de quo sane non parce, nec obscure aut dissimulanter: sed frequentissime, libenter, atque ex instituto et omni occasione disserit.

## §. XI.

Nec vero solum verba non fauent huic sententiae, sed res quoque ipsa et historia apostolica repugnat, id quod alterum est

quod huic sententiae merito opponitur. Falsum enim est, Paulo mysterium illud de ethnicis, citra susceptionem rituum iudaicorum in ecclesiam suscipiendis, aut soli aut primo patefactum esse. Quod ut appareat, argumenta viri doctissimi supra iam exposita, quibus id efficere contendit, breuiter diluenda sunt. Petri itaque exemplum sententiae suae maxime obstare; probe perspexit vir doctissimus, qui, ne Cornelium hominem ethnicum ac minime circumcisum auerfaretur, aut in ecclesiam citra circumcisionem recipere dubitaret, viso obiecto diuinitus monitus ac prohibitus est, ne pro impuro haberet, quod ex Dei voluntate purum esset. Hanc ergo difficultatem re vera insuperabilem superare nihilominus laborat, dum omnes ingenii doctrinaeque neruos contendit ut probet, Cornelium non amplius fuisse ethnicum, sed profelytum portae, ut Iudaei appellant, ac proinde certo modo inter Iudaeos numerandum. Verum enim vero difficultas haec nobis quidem hoc modo expedita non videtur. 1) Enim neutiquam certo probari potest, Cornelium fuisse profelytum portae, quod tum optime apparebit, si ostendamus, quam infirmis argumentis vir doctissimus illud et sibi et aliis persuadere conetur. Primo dicit, nisi hoc statuatur, concedendum esse, Petro omnium primo fuisse reuelationem oblatam de deducendis ad Christum gentibus; id vero falsum esse: eam enim Paulo contigisse, (1. c. §. II. pag. 632.) Sed quis non videt, hoc ipsum, quod pro argumento rei, de qua disputatur, probandae ponitur, in quaestione adhuc, imo plane falsum esse; ut ex sequentibus constabit. Deinde ex eo confirmat sententiam suam vir doctissimus, quod Cornelius dicatur *σεβορευος Θεου*, atque ut ex c. 22. cap. X. Actorum appareat, Iudaeis singulariter carus fuerit, cum tamen ethnici alibi (Ephes. II. 12.) dicantur *αθεοι* minime vero *σεβορευοι Θεου*, Iudaeisque admodum inuisi fuerint. Sed non perspicimus, haec rem certo conficere, imo admiratio nos subit, Virum Cl. huiusmodi argumentis admodum infirmis tantum tribuere potuisse. Vnde enim primo probabitur, neminem alium, praeter profelytos portae, *σεβορευον Θεου* appellari posse. Si fieri potuit illo tempore, ut nos fieri potuisse plane persuasum habe-

habemus, vt ethnicus ortu pro modo cognitionis suae Deum religiose veneraretur, eiusque indulgentiam pro salute animique sanatione imploraret; non videmus, cur non ex vero *σεβόμενος* Θεοῦ adpellari potuerit, etiamsi numquam omnia illa susceperit, quae Iudaei portae profelytis suscipienda fuisse statuunt. *σεβόμενος* quippe Θεοῦ eam maxime ob causam illo tempore quis adpellabatur, si reiecto pessimo de multitudine Deorum errore, vnum tantum Deum esse agnoscebat, qui coelum ac terram et omnia creauerit, eumque solum adorabat ac pro cognitionis modo colebat, praetereaque etiam cupidus ac paratus erat, plura ac meliora adhuc cognoscendi, eaque accipiendi et faciendi; quae accipi ab iis ac fieri oportet, qui Deo vere probati esse ac salutem consequi volunt. Locus Paulinus ex epistola ad Ephesios nostrae sententiae plane non repugnat; apostolus enim ibi aperte de ethnicis, prauis religionibus sceleribusque variis adhuc deditis ac seruientibus, loquitur; quod quam praepostere ad Cornelium transferatur, nemo non videt. Id quidem libenter concedimus, immo ipsi plane credimus, commorationem Cornelii in iis regionibus, Iudaeis repletis, occasionem praebuisse Cornelio, meliora de Deo cognoscendi; sed quomodo inde probabitur, eum ideo profelytum portae factum esse. Accedit quod ex Petri oratione, ad Cornelium reliquosque ipsi consentientes habita, luculenter adparet, eos etiam de Iesu Domino nostro, eius miraculis, doctrina rebusque gestis longe ante multa audiuisse; quae in animis bene constitutis ac docilibus non sine bono fructu manserunt, sed ipsos ad preces religiosamque veritatis inquisitionem impulerunt. Quod Iudaeis carus fuerit, pariter ita comparatum non est, vt nobis id persuadeat, quod persuaderi debet. Ecquis enim credet, neminem a Iudaeis carum haberi potuisse, nisi qui saltem profelytus portae fuerit. Multae sane potuerunt esse causae non adeo obscurae atque ad coniciendum difficiles, propter quas Iudaeis carus esse et debuit et potuit vir multis variisque virtutibus spectatus. Pietas enim non fucata et religio erga Deum, rebus ipsis demonstrata, saepe etiam hostili alioquin animo praeditos conciliat: vt in alio probare ac laudare.

dare cogantur, quod ipsi non sequuntur et faciunt. Cornelius praeterea, Deum veritus, Iudaeis sine dubio, qui a Romanis militibus imprimis valde contemnebantur, mansuetudinem et acquiescentiam praestitit, tanto pluris in milite aestimandam, quanto rariores hae virtutes illarumque usus in hoc hominum genere esse solent. (cf. Luc. III. 14.) Ut taceamus de insigni liberalitate, qua erga egenos promiscue usus legitur. Nos sane non omnes Iudaeos adeo ferreos ac saevos existimamus, quin his aliquo saltem modo commoti viroque, dignitatem suam moribus adornanti, conciliati sint.

## §. XII

2) Faciamus vero Cornelium reuera profelytum portae fuisse, ut in concedendo liberales simus, nesci tamen negari poterit, Petrum omnino primum inter apostolos fuisse, cui id, quod caput causae est, de ethnicis citra rituum Iudaicorum susceptionem in ecclesiam recipiendis, credentibusque ex Iudaeis exaequandis, diuinitus atque extra ordinem patefactum fuerit, vel qui primum saltem atque illustre maxime illius rei exemplum exercuerit, idque fas esse certe non a Paulo didicerit. Quod ut appareat, id satis ex historia ecclesiae apostolicae constare, ac plane exploratum esse arbitramur, credentes ex Iudaeis eo tum adhuc errore nondum plane liberatos fuisse ethnicos, si in ecclesiam societatemque sacrorum cum credentibus Iudaeis recipi cupiant, circumcidi antea oportere; in circumcissione enim multum prae omnibus aliis ceremoniis institutisque Iudaicis ponebant etiam ii, qui ex Iudaeis Iesum salutis auctorem ex animo receperant. Circumcissionis res igitur tum maxime agebatur, cuius praetermissio illis offensionem erat, apud illos, qui Christiani esse et appellari volebant; quam qui salua religione ac sine omni damno praetermitti posse persuasum habebat, nae ille reliquas difficultates facile superare et licitum credere poterat, ethnicos sine legis ritualis reliquae susceptione in consortium recipi posse.

## §. XIII.

Rem vero plane ita se habere, ex ipsis euentibus, Cornelii receptionem in ecclesia Hierosolymitana consecutus, evidenti-  
tissime

tissime comprobatur. Equid enim erat, quod nonnulli ex Iudaeis credentibus Petro, Hierosolymam reduci, maxime exprobrabant, audita convictus etiam societate a Petro cum Cornelio inita? nonne illud erat, quod (Act. XI. 3) dicitur: *adviros praepitium habentes ingressus, et illorum comitatu usus es*. Praepitium ergo eos maxime in tota illa re offendebat: id quod etiam ex Act. XV. apparet, vbi pariter nonnulli ex Iudaea Antiochiam profecti, id maxime apud conuersos ex ethnicis vrgebant, vt circumciderentur. Cui ergo id primum patefactum et exploratum erat, circumcisionem in ethnicis conuertendis atque in societatem recipiendis praetermitti posse, illi sane caput causae, de sublata necessitate eos legibus ritualibus adstringendi, patefactum erat. Deinde, si vel maxime Cornelius profelytus portae fuit, ipse tamen Cl. Harenbergius (l. c. p. 633.) fateri cogitur, Iudaeos integros his non multum honoris deferre solitos, hincque eos inter ethnicos ab ipsis relatos. Libenter accipimus, quod nobis dat, atque ex eo ipso rursus conficimus, Iudaeo conuerso, qui id modo pro certo habebat, profelytum portae, qui circumciscus non erat, citra circumcisionem in societatem sacrorum et victus salua religione recipi posse, grauissimam offensionem respectu reliquorum ethnicorum eodem loco habendorum sublata fuisse. Accedit, quod ipse Petrus in oratione sua (Act. XV) Cornelium ac domesticos non circumciscos, ex Harenbergii sententia vero portae tamen profelytos, cum reliquis ethnicis minime sane profelytis aperte comparat, licitamque cum iis communionem rerum omnium citra circumcisionem, ex pari communione cum Cornelio, portae, vt creditur, profelyto probat, ac proinde eo ipso confirmat, profelytos portae, ac reliquos ethnicos eodem plane loco in hoc negotio habendos esse, si modo de fide illorum in Christum constet.

## §. XIII.

Progredimur nunc ad alterum argumentum, quo vir doctus nixus, contendit, Paulo primum, non vero Petro, mysterium illud de ethnicorum, praetermissis ritibus iudaicis, in ecclesiam receptione, patefactum fuisse, ex eo ductum, quod Paulus

Ius id ipse doceat, sibi que tribuat: quod si probari posset, vel solum totam rem conficeret, vt libenter in Viri doctissimi sententiam pedibus iremus. Prouocat igitur ad vocem Pauli (Ephes. III. 1. 3.) *propterea ego, inquit, Paulus vinculus Iesu Christi, pro vobis ethnicis - - quod secundum reuelationem notum nobis fecit (Deus) mysterium, - - esse ethnicos cohaerere. eiusdem corporis membra, ac participes promissionis eius in Christo per euangelium.* Verum enim vero vix credere possumus, liberi iudicii lectorem id, quod vir doctus vult, ex apostoli verbis intellecturum aut effecturum. Nam sibi nec soli, nec primo omnium mysterium illud patefactum esse adfirmat Paulus. Non soli diserte enim reliquis apostolis ac prophetis item contigisse testatur, *patefactum id esse, inquit, sanctis apostolis eius ac prophetis.* Sed quoniam de hoc non ambigitur, in aperto quoque esse censemus, ne minimum quidem indicium in his verbis inesse, ex quo modo suspicari nedum certo conficere queamus, Paulo omnium primo id a Deo tributum esse, vt mysterium illud cognosceret. Illud modo Dominus Paulo dederat, vt ipse euangelium diuinitus perceptum inter ethnicos maxime annunciarer, eosque ad cognitionem Christi deduceret. Hoc enim est, quod saepissime, atque etiam hoc ipso epistolae ad Ephesios loco, quem cum maxime tractamus, adfirmat (c. 8.) *mibi minimo, inquit, sanctorum omnium data est indulgentia haec, vt inter ethnicos adnuunciem inexhaustas diuitias Christi.*

## §. XV.

Quod vero Paulus sibi nec tribuit, nec iure tribuere potuit, vt adhuc ostendimus, id non solum historia ipsa Petro, sed ipse etiam sibi haud obscure et quidem iure tribuit (A& XV. 7.) *vos nostis, inquit, quod a diebus antiquis Deus elegit ex vobis, vt per meum os ethnici audirent euangelium et crederent.* Quibus verbis, acta cum Cornelio sine dubio respicientibus, iam longe ante Deum per se constituisse testatur, quid de credentibus ex ethnicis et existimandum et faciendum sit. Neque videmus, nodum hunc, qui Viri Cl. sententiam valde impeditam reddit, ab ipso solutum esse, quando scribit ad vim huius vocis diluendam, verba

verba *δια τῆς σωματος μου*, nihil aliud significare, quam consilio, dicto, nutu meo. Primo enim temere receditur hoc modo ab usitata verborum *δια τῆς σωματος μου* potestate, quod quidem hoc in loco eo minus probandum est, quo certius constare omnibus debet, Petrum acta cum Cornelio (c. X.) respicere, quae clarissime docent, Petrum Cornelium ac reliquos doctrina euangelii voce instituisse, ac proinde verbis *δια τῆς σωματος μου* (c. XV.) consuetam notionem subiiciendam esse, ipsa re gesta illud ita postulante. Deinde si verba haec vel maxime in eam, quam Vir Cl. vult, sententiam accipiamus, quod per nos fieri licet, vel sic tamen apertum est, ea etiam hoc modo explicata nostram magis, quam ipsius sententiam iuuare. Cum enim Iacobus, qui post Petrum in conuentu illo Hierosolymitano verba fecit, diserte testetur (Act. XV. 14.) Deum tum *πρωτον* s. PRIMVM recepisse quosdam ex ethnicis in communionem ecclesiae et quidem citra suspensionem rituum Iudaicorum, cum Cornelius ac reliqui a Petro reciperentur; satis adparet, Petrum primum illius rei exemplum ac quidem diuinitus iussum atque edoctum edidisse. Quod si ita est, sicuti omnino est, nihil verisimilius est, mysterium illud Petro certe primum etiam, vel saltem non serius, quam Paulo patefactum esse. Quod si porro conuersio Cornelii, vt multi sentiunt, incidit in A. C. XXXVII. et raptus Pauli, quo mysterium illud ipsi reuelatum statuitur, eodem anno contigit ex Cl. Harenbergii sententia exposita: (bibl. Brem. cl. VII. fasc. 5. p. 892.) mirum plane merito cuius videri debet, cur Paulus in disputatione sua cum defensoribus rituum Iudaicorum nec Antiochiae nec etiam postea in conuentu Hierosolymitano prouocauerit ad raptum, illo ipso tempore, quo lis illa maxime feruebat, factum; cuius tamen rei ne minimum quidem vestigium in actis occurrit, licet eo pacto totalis sine dubio facile dirimi ac componi potuisset; quemadmodum alio tempore in simili plane casu (Act. XI.) diremta fuerat, postquam Petrus visum de non aspernandis ethnicis diuinitus sibi obiectum commemorauerat. Si vero raptus Paulo demum post conuentum Hierosolymitanum contigit, rursus habemus quod volumus, Petro scilicet longo iam tempore

ante mysterium illud fuisse reuelatum atque ab ipso etiam patefactum.

## §. XVI.

Denique ultimum viri cl. argumentum (p. 633.), quo utitur, adeo nihil ad rem facit, vt tantum absit, vt adfensum cuiusquam mouere queat, vt potius admirationem apud attentos lectores commotum iri credamus, virum doctissimum animum inducere potuisse, vt illo vteretur. Scribit scilicet (l. c. p. 633.): *Praeterea Petro concreditum erat euangelium ad circumcisos (Gal. II. 7.): Paulo ad non circumcisos (v. 8. 7. l. 16.) quem enim fugit, ex maxima parte rem quamcunque solere appellari? Paulo sane Dominus ad ethnicos maxime mandata dederat, et hanc ob causam praecipue ethnicorum apostolus recte appellatur: nec tamen id eo prohibebatur, quo minus etiam Iudaeos ad Christum adduceret; quod quam sedulo et quauis occasione sibi oblata, imo quaesita, egerit, et dicta illius et facta commonstrant. Petro vero Iudaeorum cura et salus maxime quidem commissa erat, cum eo tamen, vt ne quidem ethnicorum curam negligeret.*

## §. XVII.

Sed sufficiant haec de iis sententiis, quae nobis minus probantur: accedamus iam tandem ad nostram exponendam. Ipsa quidem *uocatur* illa, a Paulo audita, definire velle, temerarium omnino esset; licet tamen pie ac moderate inquirere, ex quo genere rerum fuerint: nec prohibitum est, tali in re coniecturas facere, quatenus in sacris litteris aliqua deprehendimus, quae nobis coniciendi causam adferunt. Verisimile ergo maxime nobis videtur, quod etiam aliis interpretibus dudum in mentem venit, audita a Paulo ad res coelestes, statumque iustorum perfectorum in loco illo glorioso pertinuisse. (\*) Quod vt eo melius

(\*) Existat elegans disputatio C. VITRINGA de non dictis a Paulo auditis in Paradiso, obs. SS. l. III. c. XX. in cuius §. XVIII. sententiam suam ita exponit. *Scriptura clare et exserte docet, esse aliquid, quod eccle-*



lius adpareat, duo maxime probare instituemus: primo, quantum fieri potest in tali re, ostendemus, dicta illa coelestia ad statum futurae gloriae; deinde etiam speciatim ad ipsum Paulum pertinuisse. Quod igitur ad primum attinet, varia cum in ipso hoc loco, tum in reliqua epistola occurrunt, quae magnam huic sententiae, prouti saltem nobis videtur, verisimilitudinem conciliant. Paulus scilicet *υπερβολων* aliquam agnoscit in tota reuelatione in coelo tertio sibi facta: ex quo admodum probabile fit, patefactum esse apostolo aliquid, quod modum vsitatum ac sortem mortalium acuum adhuc in his terris agentium exsenserit. Cum enim opera Dei, quae in his terris atque in regno gratiae suscipit ac perficit, tanta ac tam magnifica sint, ut vim in-

L 3

telli-

*ecclesiae, quae in terris agit, reuelatum haecenus non est. Quid id sit, Ioannes explicat 1 ep. III. 2. ουτω φανερωθη τι εσομεθα; nondum reuelatum est, ait, quid futurum simus. Hoc certo scimus, manere credentes in Christum vitam aeternam, gaudia aeterna, satietatem, amoenitatem. Scimus, nos in eo statu Deo arctissime vniendos esse, ipso secundum vota et desideria nostra fructuosos esse; ipsi fructuosos esse similes, eumque cognituros sicuti est, ut Ioannes in ipso hoc loco disserit. Paulus insuper declarat, Deum in illo statu futurum esse omnia in omnibus et ipsum solum patri esse subiiciendum; vitae huius animalis operationes tum esse cessaturas, sanctosque in gloriae statum translatos angelis futuros esse similes, et corpora eorum induenda esse gloria, immortalitate et incorruptibilitate, quin etiam creaturam omnem tum liberatum iri a vanitate, cuius nunc subest imperio. Satis igitur nobis de illo statu reuelatum est ad fidem et spem nostram stabilendam muniendamque aduersus omnes tentationes diaboli, mundi et carnis. Tamen si vero haec de eo statu sint dicta et reuelata, eaque dicta et reuelata nouerit Ioannes; istamen dicit nondum esse reuelatum QUID FUTURI SIMVS, et dixit verissime. De ordine enim et oeconomia illius status, sicut etiam de ordine aliarum rerum omnium, quem Deus pro summa sua sapientia instituit, nihil quidquam intelligimus distincte; minus adhuc quae nobis in illis gaudiis futura sit fors, suam enim cuique credenti in illa gloria futuram esse sortem dispensationi divinae gratiae, huius vitae adaequatam, non iustitia tantum Dei exigit, sed et in scripturis exserte perscriptum est. Quid si igitur haesitando proponamus; an forte placuerit Christo, Paulo fuisse seruo suo in coelos rapto exponere, non quae huius tantum sed*

vel

telligentiae nostrae omnemque fidem humanam superent, imo stulta reputentur, nisi Spiritus S. illorum fidem in animo faciat; (1 Cor. II. 14.) quid esse et fieri oportebit, in regno illo Dei glorioso: in quo, malis omnibus plane sublatis, cumulata omnium bonorum possessio expectanda est; quantum quaeso illa a vi intelligentiae terricolarum remota esse oportet, qui tanta sub nocte adhuc iacemus? id quod etiam optimus servator nos docere voluit, (Ioann. III. 12.) *si terrestria*, inquit, (i. e. opera Dei, quae in terris, maxime vero in regno gratiae perficiuntur) *dixero vobis, et non creditis; quomodo, si dixero vobis coelestia* (i. e. illa, quae in coelo, siue glorioso illo atque illustri Dei regno geruntur) *credetis.* (\*) Haud scimus interim, an apostolus in ipsa

*vel maxime, quae futuri illius temporis futura sit dispensatio, quis ordo, et quam a Domino suo expectandam habeat pro tot laboribus ac periculis, quot pro causa eius sustinebat, mercedem. In hac sententia nihil video absenti, satisfacit omnino emphasi verborum, quae Paulus in hac oratione sua adhibet. Eiusmodi enim reuelatum commode potest vocari agerem, quia, ut Ioannes clare ait, manifestatum habemus non est, hoc non licebat Paulo vlli mortali enarrare. Primo enim Deus pro sapientia sua ob varias rationes consultum duxit, vniuersae ecclesiae oeconomiam illius temporis et status occultare. Vtile igitur non fuit, ut Paulus id ecclesiae reuelaret, quia reuelatio haec magis ad Paulum attinet, quam ad ecclesiam, qua enim sorte Paulus beatus sit in futura vita, magis expe-rit Paulo scire quam ecclesiae; nihil etiam reuelari potuit Paulo, quod illi in omni calamitate fortius adferre poterat solamen; quod cum magis poterat incitare ad labores; magis animare ad ferendas afflictiones, subeunda pericula, negligendas contentus, opprobria, dolores, et molestias huius vitae, quam hoc ipsum. &c. Mentionem etiam huius sententiae facit AVGVSTINVS CALMET in comment. litt. ad h. l. p. 287. ita scribens: Deus illi fortasse reuelauerat vel GLORIAM IPSI DESTINATAM, vel alias res, quae fidelium vilitati atque saluti minime proderant &c.*

(\*) *Errissu enim hoc loco non tam opera Dei in regno naturae, maximam partem licet nobis etiam valde incomprehensibilia, quam potius opera in regno gratiae significare videntur, longius adhuc ab intelligentia nostra remota; de his enim optimus Servator cum Nicodemo agit, coecitatemque mentis in hoc rerum genere ipsi demonstrare laborat. Vnde*

ipsa hac epistola nos in aliqua inquisitionis vestigia inducat: quae si notabimus, cum aliqua verisimilitudine coniecturam facere licebit, ex quo genere rerum ipsi illo in loco atque statu aliquid patefactum sit. Videmur vero nobis impressa huiusmodi vestigia notasse cap. III, (c. 17.) ubi apostolus maxima praemia, ex variarum multarumque calamitatum propter Christum perpeffione capienda, declaraturus: *nam illico*, inquit, *praeteriens leuitas afflictionis nostrae καὶ ὑπερβολῆν*, *f. secundum praestantiam*, (i. e. maximae et grauissimae) *εις ὑπερβολῆν*, *f. in praestantiam*, *aeternum pondus gloriae comparat*. Videmus hic apostolum de coelorum gloria loquentem pariter *ὑπερβολῆν* commemorare. Vbi obseruandum ducimus verba, *καὶ ὑπερβολῆν*, vel cum proxime superioribus, *της θλιψεως*, coniungi posse, vel, quod a plurimis fit, cum proxime insequentibus, *εις ὑπερβολῶν αιωνιον βαρος δοξης*. Si illud fiat, sicut et nos in versione fecimus, sententia erit: summa ac grauissima, communemque modum plane excedens, qua adficimur, calamitas comparat quoque nobis gloriam parem communemque modum excedentem. Quam interpretationem commendare videtur elegans atque apta oppositio exsuperantiae calamitatis, atque exsuperantiae gloriae, quam illa adferet aequo eam animo constantique perferentibus. Auet vero verisimilitudinem, quod Apostolus huiusmodi contrariorum, quasi aduersis frontibus, compositiones amat et ut alibi ita hic quoque haud obscure sectatur: contraria enim sunt *παρεωντικα*, *f. illico praeteriens*, et *αιωνιον*, *f. aeternum*: *ελαφρον*, *f. leue*, et *βαρος*, *f. pondus*, *θλιψις*, *f. calamitas*, et *δοξα*, *f. gloria*. Si vero verba, *καὶ ὑπερβολῆν*, quod pluribus probatur, cum sequentibus coniungantur, peribit quidem in hac orationis parte elegans illa oppositio: exsuperantia vero gloriae eo fortius significabitur: nec male tum res ipsa verbis I. C. WOLFFII in

notis  
de etiam praeter alias causas verba (c. 8.) *το πνευμα του Θεου πνυ και την φωνη αυτου ακουεις*, non de vento, ut plurimi faciunt, sed de Spiritu S. illiusque operibus interpretamur. Qua de re egimus in grammate pentecostali nomine publico A. MDCCXXXVIII. edito de *spiritu spirante ubi vult*.

notis ad h. l. exprimi posse videtur, *quasi diceret Paulus, inquentis, utere verbis, quae oratori loquenti, καὶ ὑπερβολῆν loquenti, solemnitas sunt; deinde ista hyperbole positivi gradus loco sumta ascendat oratio supra eam, quantum figura hyperbole supra res vulgares efferrī solet: postea tamen dictis tuis vix aequabis id, quod proprie et sine figura de beatorum in caelo statu dici deberet, si verba non desicerent.*

## §. XVIII.

Licet vero res ipsa hoc modo expressa satis recte se habeat; priori tamen interpretationi calculum nostrum adiciere malumus, quoniam apostolus in superiori oratione pariter aperte de exsuperantia calamitatum, quibus ipse maxime atque alii collegae adficiantur, verba fecit; quibus efficiatur, ut status Corinthiorum, qui minus adflegebantur, laetior longe suo adpareat; quod tamen aegre se ferre, aut ideo conditionem suam se indignari negat, quoniam certissime persuasum habeat, calamitates suas, communem aliorum credentium modum excedentes, cum ecclesiae utiles esse, tum sibi adlaturas vicissim aliquando, Dei munere, gloriam communem aliorum modum pariter excedentem. Apostolum vero id, quod in nostra sententia confirmanda fundamenti loco posuimus, omnino in superiori oratione agere, nemo inficias ibit, qui commata (5 - 15) accurate considerauerit. Imprimis autem illud ex aperta sui a Corinthiis hac in re seiunctione, quam c. 12. facit, apparet: *hinc mors quidem, inquit, in nobis (me scilicet, aliisque adiutoribus) operatur, vita vero in vobis.* Vbi ex superiorum, maxime c. 10. collatione, mors significare maxime videtur mortem Domini Iesu, cum aliqua tamen dilatatione ad totam illius vitam humilem, miseram, dolorisque plenam, in his terris inter mortales actam, quae tota quasi mors erat: mortis enim oppetendae causa maxime susceperat, atque ad piacularem mortem, tamquam ad metam sibi propositam, procucurrerat, variis praeterea subinde mortis periculis obiectus (conf. 1 Cor. XV. 31. Rom. VIII. 36.) Sententia ergo apostoli erit: mortem Iesu, torumque exinanitionis statum in se vim suam exserere, seque in hac vita prae aliis credentibus, maxime

me accedere ad Iesu exinaniti, adflicti, tandemque violenta morte adflecti, similitudinem. Quod si ponatur; vita, quam Paulus dicit, pariter vita imprimis Domini Iesu erit, per resurrectionem ex mortuis recepta, cum eo tamen, ut totum consecutae exaltationis statum vna complectatur; quo posito, sententia verborum erit: Corinthios propter lautiozem, ac laetiozem in spiritualibus atque externis conditionem ad similitudinem status exaltationis Christi in his terris quasi propius accedere. Solet enim Dominus pro summa sua sapientia rem ita moderari, ut alios discipulorum suorum in hac quidem vita in exinanitionis statu, praecipue illos cum spiritualibus tum externis calamitatibus adficiendo, sibi similiores efficiat; alios vero propius quasi ad similitudinem status exaltationis suae accedere velit; maiorem ipsis quietem conditionemque lautiozem tribuens. Quod si fiat, nemo alium contemnere, nemo alii invidere; sed sua quisque forte, a Domino tributa, contentus esse, imo cum secunda tum aduersa aliorum sanctorum tanquam membrorum eiusdem corporis participare debet, secundum legem apostoli alibi expressam (1 Cor. XII. 26.) *si vnum membrum patitur, omnia membra vna patiuntur, si vnum membrum gloria adficitur, vna gaudent omnia membra.* Conferri quoque hac de re velimus, quae (Io. XXI. 20 sqq. 1 Cor. III. 7.) de hoc argumento occurrunt. Sed ad institutum redeamus. Vtram verborum, quae tractamus, interpretationem eligere placeat, illud semper exploratum manebit, apostolum gloriae beatorum in coelo *υπερβολην*, s. exsuperantiam tribuere. Cum ergo eodem *υπερβολης* vocabulo vtatur de reuelatione, in coelo tertio ac paradiso sibi facta, verba faciens; admodum verisimile fit, illud quoque, quod Paulus in sede illa gloriosa audiuit, forte etiam vidit, quam maxime saltem, si non vnice, ad gloriam statumque beatorum, ac iustorum perfectorum, praecipue vero illorum pertinuisse, qui multa ac graua propter Christum eiusque causam ita sunt perpeffi, ut seruatori non minus in aduersis, quam in secundis rebus fidem et constantiam probauerint; cuiusmodi praestantiam gloriae et praemiorum tales maxime consecuturos esse; sacrae litterae etiam alibi testantur.

M

(cf.

(cf. Apoc. VII. 14.) Ex quorum numero cum vel maxime Paulum fuisse conſtet, aptum valde et conueniens exiſtimandum eſt, ſi quid ipſi ea de re in coelo tertio patefactum eſt. Accedit, quod vix vllus alius apoſtolus, tam ſaepe, tam grauiter de aeterna illa beatorum gloria loquitur, cuiusque propoſitione ſe non minus atque alios incitare et accendere laborat, certiffimam ſimul illius rei fidem, vna cum ingenti, quam primum eo perueniendi, deſiderio, ſignificans; ex quo rurlus veriffimile efficitur, ſingulare aliquid Paulo hoc in genere contigiffie. Quod ſi factum eſt, quando, quaefo, commodius fieri potuit, quam illo ipſo tempore, quo ſe in coelum tertium translatum ſenſit?

## §. XVIII.

Verum non eſt, quod pluribus haec, vtpote adhuc generaliora, perſequamur: alterum iam ſequitur magis ad rem faciens, quoniam Paulum adhuc propius attingit. Credibile ſcilicet admodum nobis videtur; audita ac forte etiam viſa in illuſtri illo loco ad ipſius Pauli ſtatum in illa vita, perſonamque, quam ibi gerere olim debebat, pertinuiſſe. Iam in mentem hoc quoque venit *CAMPEGIO VITRINGA*, nobis ſupra laudato, qui recte et ſacris litteris conuenienter obſeruat, ſortem cuique ſuam beatorum in illa vita tributam eſſe, pro fidei, laboris ac tolerantiae modo in hac vita adſignandam; probabile ergo admodum eſſe, Paulum de illa edoſtum fuiſſe. Quas cogitationes pias admodum, ac ſaltem nihil complectentes, quod a doctrina lanorum verborum abhorreat, paulum adhuc illuſtrare placet: haec tamen, vt modestiam teneamus, neque inani coniiiciendi lubidini indulgeamus, ſed potius videamus, quatenus ipſae ſacrae litterae veſtigia nobis aliqua demonſtrant, in quibus pedem ponere liceat. Duo vero agere conſtitutum eſt: primo probabimus, dicta apoſtoli in eo, quem tractamus, loco optime huic ſententiae accommodari; deinde coniecturas noſtras de iis proferemus, quae Paulus audiuerit ac forte etiam viderit. Quod ad primum attinet, illud ex eo confirmamus. 1) Scilicet, reliqua omnia, quibus Paulus, pseudapoſtolos refutaturus, auctoritatemque ſuam apud Corinthios vindicaturus, in tota de-  
fen-

fensione gloriatur, ad ipsum Paulum pertinent; credibile ergo est, revelationem hanc non solum ipsi factam esse, sed etiam argumentum quasi illius ad ipsum pertinuisse: quod si ponatur, ratio simul clarius apparet, cur apostolus tam caute et parce de ea verba faciat. 2) Optimam in hac sententia interpretationem habent, ut nobis videtur, verba Pauli: *audivit verba indicta, in-quietis, quae non licet homini dicere.* Quamcumque enim horum verborum interpretationem anteponas, qua de re parte secunda disputatum est, facile sententiae nostrae accommodari poterit. Si vero ea interpretatio placeat, quam nos confirmavimus, omnia planissima erunt; facile enim in illa ratio perspicitur, cur Paulus verba ibi audita nemini eo usque elocutus sit, quoniam scilicet de ipso agebant; cuius modi res, si ad laudem nostram pertineant, tacere satius est, quam eloqui, praesertim si magnificae sint. Nec minus ratio est in promptu, quam ob rem apostolus subiiciat, non licere in posterum quoque illa cuiquam eloqui. Quod si enim vox illa coelestis de ipso egit, causas habuit omnino idoneas, cur sibi non licere existimaverit, rem illam apertius enuntiare, imprimis, cum tota res ad ipsum Pauli confirmationem in tot extraordinariis plane malis pertinuisse videatur; plus enim quam quisquam aliorum perperis fuerat. 3) In hac sententia periculum elationis, gravissima calamitate cavendum ac depellendum, sine dubio optime intelligi potest, si vox illa coelestis ad ipsum Paulum pertinuit. Sine dubio enim animi elatio magis tum extimescenda erat, si non solum ad sedem illam gloriosam translatus est, sed suam quoque fortem sibi referatam cognoscere licuit.

## §. XX.

Progredimur nunc ad alterum, prolaturi scilicet modeste cogitationes nostras de iis, quae Paulo ad ipsum pertinentia in illustri illo loco contigerunt. Eum ibi voces certas audivisse certum est: ipse enim de auditis ibi diserte meminit. Vtrum etiam aliquid viderit, non aequae certe ex verbis ipsius constat: verisimile tamen multis videtur. Primo loco ergo de audita ibi voce eiusque argumento aliquid dicendum est: quod quale fuerit,

sacris litteris ducibus, probabiliter inuefigare, non improbum esse arbitramur. Quod si ergo locos illos consulamus, in quibus de rebus coelestibus ac de statu iustorum in futuro seculo sermo est; ex nonnullis satis constat, beatos quoque ex Domino aliquid' audituros esse ad laudem ipsorum pertinens: quod ut appareat, locos aliquos transferre consultum erit. Primo attendi omnino meretur effatum Domini in epistola ad angelum ecclesiae Sardenfis; (Apoc. III. 5.) in qua, *vincens induetur, inquit, vestimentis albis, nec delebo nomen ipsius ex libro vitae, et aperte profitebor nomen ipsius coram patre meo et coram angelis ipsius.* Ex quibus verbis sane id plane constare videtur, beatos in gloriam futuri seculi a Domino introducendos, egregium a Domino testimonium coram accepturos esse, ac Patri nominatim commendatum iri. Et ne nos prohiberi putemus, quo minus ea de re pie cogitemus, ac nos ipsos tali cogitatione ad studium aeternorum incitemus, Dominus subiicit: *habens aures, audiat id, quod spiritus ecclesis dicit.* Adiungimus his vocem Domini (Matth. XXXV. 21.), vbi seruum, qui fidem suam in recte vtendis muneribus indulgentiae suae probauerat, ita alloquitur, testimonium ipsi simul perhibens, ac praemia tribuens: *serue probe ac fide! in paucis probasti te fidelem, plura tibi committam; intra in gaudium Domini tui.* Longe illustrior vero adhuc est laus ac testimonium, quod Dominus se voce aliquando in illo die tributurum suis adfirmat (l. c. c. 34 seqq.) *venite fortunati, inquit, Patris mei, haereditate accipite paratum vobis regnum a principiis mundi; esurii enim, ac dedistis mihi edere; sitii, ac dedistis mihi bibere; hospes fui, et recepistis me; nudus fui, et vestiistis me; infirmus fui, et inuistis me; in carcere fui, et venistis ad me.* En hic bonum illud testimonium, iustis olim a Domino perhibendum. Quam rem generatim etiam Paulus confirmat (1 Cor. IV. 5.) scribens: *Dominus in lucem proferet in tenebris abscondita, et patefaciet confilia cordum, et tunc laus tribuetur cuique a Deo.* (conf. etiam 2 Cor. X. 18.) Omnes hi loci satis perspicue docent, iustos consummationis aliquando propter fidem ac bene facta a Domino laudatum iri, et hanc quidem esse verissimam laudem, qua ipsi quidem,

suae



suae indignitatis sibi probe conscii; indignos se putabunt, et  
 quam ideo sine elationis periculo illo tempore auribus percipere  
 poterunt. Cum ergo, ut ex dictis apparet, ea iam sacris litte-  
 ris consignata legamus, quae Dominus suis olim dicturus sit, ad  
 commendationem illorum pertinentia; nec improbum, nec in-  
 conveniens esse videtur, coniecturam ex eo ducere, Paulum ali-  
 quid earum rerum, in coelum tertium translaturum, quasi praece-  
 pisse. Quod si ponatur, omnia sane bene convenient, quae dic-  
 cit. Convenit, quod *αεθρον* illud appellat, siue tale, quod  
 nemini eo usque dixerat; tacere enim talia praestabat, quoniam  
 illud et ipsi et aliis vtilius erat varias ob causas, quas in secunda  
 orationis vniuersae parte iam edisseruimus, quasque hic repetere  
 nihil attinet: convenit, quod dicit, sibi in posterum quoque ea  
 cuiquam eloqui non licere; eadem enim rationes id prohibe-  
 bant: convenit maxime, quod de periculo elationis exrevelatio-  
 ne hac metuenda differit; quis enim non videt, illud tum opti-  
 me intelligi posse, si ex Domino in coelo audita ad ipsum perti-  
 nuerunt, ac talia fuerunt, quae Dominus suis nondum in hac  
 vita cum singulari alloquio dicere solet, sed quorum prolatio coe-  
 lo reservata est. Sunt quidem ea, quae olim dicit, generatim  
 in sacris litteris, ut supra vidimus, perscripta, ut alieni adhuc a  
 Deo, proposito adeo insigni praemio, alliciantur, probi autem  
 ad constantiam vsque ad finem vitae conseruandam incitentur: at  
 Dominus ea non speciatim ac seorsim ad singulos transfert, sed  
 modo se olim illud omnibus fidem praestantibus certo facturum  
 pollicetur. Si ergo Dominus in Paulo hac in re exceptionem  
 fecit, quae alioquin in huius vitae statum non cadit; omnium fa-  
 cillime ratio intelligitur, quomodo ex eo euenire potuisset, ut  
 Paulus ad animi elationem incitaretur. Libenter haec quidem  
 piorum lectorum exilimationi subiicimus, id saltem confisi, con-  
 iecturam hanc talem esse, propter quam nemo nec temeritatis,  
 nec aberrationis ab vlla formae doctrinae sanioris parte iure ac-  
 cusari queat. Longissime tamen ab eo absumus, ut cuiquam  
 quidquam importune obrudamus, quod tali in re aeque nefas  
 esset, ac si quis ipsam sententiam nostram impietatis arguere vel-  
 let.

let. Ponderet quisque aequo animo prolatas à nobis rationes, fibique persuasum habeat, nos aequo animo laturos, si vel maxime non secundum nos det, imo gratum etiam acceptumque habituros, si nos meliora edoceat.

## §. XXI.

Restat, vt de visis in coelo tertio adhuc pauca adiungamus. Paulus visorum non aequè diserte mentionem fecit, atque auditorum in illustri illo loco. Aliquoties tamen iam a nobis obseruatum est, verisimile nonnullis videri, conspectum quoque ibi aliquid esse ab apostolo. Si id factum est, quod nec nobis dissimile veri videtur, non male coniicitur, pertinuisse illud pariter ad gloriam beatorum ratione animi et corporis. Illo enim, quo haec contigerunt, tempore, innumeri non solum iustorum iam consummatorum spiritus in paradiso Dei erant, beata illa altissimaque quiete in communionem Domini fruentes eumque intuentes; verum etiam tales iam aderant, quorum corpora iam tum *πνευματικά*, s. spiritualia ac coelesti gloria adfecta erant. Quod vt constat, non solum Enochum et Eliam, corporis veste non exuta his terris subtractos: non Moysen, ex veterum opinione iam dudum ab inferis reuocatum, commemorabimus; sed illos imprimis demonstramus sanctos, quorum corpora, ipso Domino vel moriente vel in vitam redeunte, pariter in vitam reuocata ac restituta sunt, et quidem virtute Domini vel iam rediuiui, vel certe reuicturi, ac deuisa etiam morte triumphum de morte acturi. Hos enim mortali ac infirma corporum conditione reuixisse, qua olim vixerunt, nobis quidem nullo modo credibile videtur. Verisimilis itaque valde est communis fere interpretum sententia, eos cum Domino postea, tanquam comites et laudatores in coelum adscendisse, ibique animo ac corpore perfectos vitam beatissimam agere. Quod si factum est, Paulus illos videre potuit. (\*)

## §. XXII.

(\*) Multa quidem de corporibus sanctorum hac occasione in vitam restituta disputata sunt. Imprimis non plane conuenit inter interpretes de tempore vero, quo illud factum sit. Alii enim Domino vitam ponente,

## §. XXII.

Vidisse quoque Paulum aliquid in locis illis probabile videtur ex iis, quae in Epistola ad Ebraeos (XII. 22. sqq.) de oeconomia coelesti differit: *Accessistis Sion monti, inquit, et urbi Dei viventis, Ierusalem coelesti et myriadibus, angelorum scilicet pannyri et ecclesiae primogenitorum in coelis descriptorum, et iudici ac Deo omnium, et spiritibus iustorum consummatorum, et testamenti novi arbitro Iesu, et sanguini adspersionis meliora loquenti, quam Abel.* Triumphantem his verbis ecclesiam, regnique Dei gloriosi incollas ac ciues his verbis describi, nos quidem nullam dubitandi rationem satis idoneam cernimus. Cum vero Paulus duo ciuium genera ex hominum numero nominet, primo quidem primogenitos, deinde spiritus iustorum consummatorum; admodum verisimile nobis videtur, quod etiam aliis iam in mentem venit, primogenitorum nomine illos ex coelitem numero, si non vnice, saltem maxime adpellari, quorum corpora, Christo vel moriente vel reuiuifcente, pariter in vitam redierant. Sicuti enim Christus resuscitatus, alibi a Paulo (1 Cor. XV. 20. 23.) *primitiae* illorum, qui obdormierunt, factus esse dicitur, eo respectu, quatenus eorum reuocatio in vitam Christi resuscitationem certo consequi debet; sicuti primitiarum olim oblationem in templo factam plena messis libere consequi et poterat et debebat: ita illi, qui cum

alii recipiente rursus eos in vitam rediisse arbitrantur. Qua de re confererentur Vir Clarissimus et Doctissimus IO. GEORGIUS MICHAELIS in peculiari scripto de his, inserto bibl. Brem. Cl. III. IO. REINERVSIVS Harm. euang. L. V. P. II. Sect. II. p. 1330 sqq. et Theologus quondam Fridericianae nostrae meritissimus BENED. GOTTLIB CLAVSWITZ in commentatione de *mortuis tempore resurrectionis Christi resuscitatis* publico nomine proposita A. MDCCCXXXI. Ceterum admiratio nos subit, fuisse, qui crederent, resuscitatos hos in sepulcra sua rediisse, ac rursus mortuos esse, permoti maxime oraculo Pauli (1 Cor. XV. 20.) Christum primitias illorum, qui obdormierunt, adpellantis. Quemadmodum vero ex hoc loco plane non sequatur, neminem ante Iesu reditum in vitam, ad vitam gloriosam ab inferis excitari debuisse, id egregie ostendit SEB. SCHMIDIVS in *disputatione* bonae frugis plena de *primitiis resurrectionis Christi*.

cum Domino reuiuifcente fimul reuixerunt, ac poftea vna cum illo, vt valde probabile eft, in coelum funt ingreffi; commode fati primogeniti refpectu aliorum credentium dici poffunt, quoniam illorum facta iam dudum refuscitatio, reliquis, qui ad huc dormiunt et porro obdormifcent in Domino, certiffimo documento ac quali pignoris loco eft, ipfos quoque olim certiffime, vltima fcilicet tuba canente, in vitam reftitutum iri.

## §. XXIII.

Forte etiam videre licuit tibi apoftolo domicilium fue manfionem fibi paratam. Suum enim quemque coelitem etiam tibi locum proprium et gradum tenere, ipfe Dominus haud obfcure fignificare videtur, (Io. XIII. 2.) *in domo Patris mei; inquit, manfiones multe funt; ſi minus, dicerem vobis, proficifcor paratum locum vobis. Et ſi abiero ac parauero vobis locum, rurfus ventiam et recipiam vos ad me ipſum, vt, vbi ſum ego, et vos ſitis.* Quid ergo, ſi coniiiciamus, Paulum forte locum illum vidiffe, quem aliquando occupaturus eſſet inter coelites? quod ſi ipſi contigit, aliquid fane ſingulare prorfus ipſi tributum eſt, atque ita comparatum, vt cauſa probabilis appareat, cur nemini dixerit, nec dicere voluerit. Suppeditat quoque rurfus haec coniectura cauſam idoneam, cur ad elationem facile ſollicitari potuiſſet, niſi extraordinario calamitatis genere a Domino prouidentiffime cautum eſſet. Lectoribus quoque conſiderandum permittimus, an non apoſtolus forte ad haec quoque ſimiliaque reſpexerit hac ipſa epiſtola, (c. V. 1. 2.) hunc in modum ſcribens: *Novimus, quod ſi terreſtris noſtra domus tabernaculi (i. e. corpus mortale, quod domicilium animae ad breue tempus eſt, ſicut tabernaculum domicilium militis modo ad breue tempus, et quoad bellatur, eſſe ſolet) diſſoluta fuerit, aedificium ex Deo habemus: domum non manu factam, (i. e. locum ac ſedem a Deo paratam, in quam tum immigrabimus) aeternam in coelis (atque adeo a coelo ipſo, ſaltem vt partem a toto, diſtinctam). Nam etiam in hoc geminus, domicilium noſtrum (i. e. locum, vbi habitabimus in aeternum) quod ex coelo eſt (i. e. ortum coeleſtem non terreſtrem habet Io. III. 31.*

ac



tiores sententias exprōmamus, (\*) eamque, cui nos calculum adlicimus, idoneis argumentis confirmemus.

## § XXXV.

1) Primo loco ergo illorum sententia prodeat in medium, qui sibi persuadent, *sudem carne et angelum satan*, quibus se vexatum adfirmat apostolus, non malum aliquod ad corpus pertinens significare, sed animi mala ac sollicitationes; quae per verborum translationem, his nominibus, ad gravitatem illorum signandam, adpellenter, et alibi quoque similibus adpellari conueuerint, quoniam inter morbos malaque animi et corporis magna similitudo intercedat. At cum mala ad animum pertinentia, non minus quam corporis incommoda, varii generis esse queant, mirum non est, inter hos, inter quos de vna re generatim conuenit, magna tamen rursus sententiarum diuortia fieri, si ad explicandum genus huius mali accedunt. 1) Ergo fuerunt, qui crediderunt, Paulum nil aliud, quam conscientiae stimulos intelligere, quibus confossus sit, animo secum reputans, quae ante reditum ad saniores mentem facinora designauerit. Nec adeo multi, nec graues auctores sunt, quibus haec sententia placuit, quam ob rem multis illam refellere opus non est. Constat quidem ex Pauli scriptis, eum frequenter furorem illum pristinum recordatum, nec sine doloris significatione de eo locutum esse, sed recordationem illam doloremque inde conceptum. prouti in ipsius animo erat, pro calamitate habuisse, ac deprecatum esse, nusquam legitur. Exploratum plane habebat Paulus, se veniam ante commissorum ex poenitentia et fide impetrasse, nec cum aliqua verisimilitudine defendi potest, Paulo illud vnquam dubium fuisse, cuiusmodi dubitatio sane inter mala omnino deprecanda numerari deberet, si probari posset. Sicuti enim criminum propter Christum condonatio, impetrataque in iudicio diuino absolutio inter maxima Dei beneficia locum habet, quae mortalibus conferri possunt; ita sane certa illius rei fides ac persuasio non minus summum beneficium duci atque etiam enixe expectari debet.

(\*) Potiores sententias enarrat auctoresque illorum laudat AVGVST. CAL-  
CRORET in comment. ad h. l. p. 288 fqq.

debet (cf. Pf. XXXII. 1. 2. 6.) Quod si igitur locos illos omnes consideremus, vbi apostolus status sui pristini mentionem facit, ex omnibus haud obscure apparet, eum id libenter fecisse, omnesque illius rei occasiones sibi oblatas amplexum esse; quoniam illa recordatio cum indignitatem suam, tum summam Dei indulgentiam ac plane gratuitam ipsi in memoriam redigens, et ad deprimendum se ipsum, et ad laudandum, extollendum, tantoque ardentius amandum, tam ingentis beneficii auctorem quam maxime pertinebat. Huiusmodi status pristini cogitatio sane omnibus credentibus utilis, immo necessaria est, quam ob rem Paulus id etiam aliis frequenter commendat, quod ipse verum ac salutare expertus fuerat. Reputandum ergo omnino saepius est, quid sine Dei indulgentia fueris, vt illud, quod illius indulgentia factus es, tanto pluris facias, sollicitè conserues, eoque rectè ac modèste utaris. Quae cum satis perspicua sint, mirum non est, hanc sententiam paucis probatam esse. (cf. Ephes. II. 1. II. Rom. XI. 17 sqq.)

## §. XXVI.

2) Aliis ergo in mentem venit, *sudem carne et angelum satan* significare pravae cupiditatis motus sollicitationesque ad turpes lubidines, quae, vt facile intelligi possit, apostolo, viro continentissimo, sanctitatisque corporis atque animi studiosissimo, maximum dolorem attulerint. In hanc sententiam inter alios ingressus est AVGVSTINVS CALMET, maximum inter Romanae ecclesiae interpretes nomen consecutus, ita scribens (in comment. liter. ad h. l. p. 288 seq.) *plures potiori iure tenent, stimulum carnis et angelum satan hoc in loco vnum et idem significare, videlicet concupiscentiae motus, quos S. Paulus in carne sua, licet inuitus, experiebat.* Hoc ipsum ille inuit in prima ad Corinthios epistola c. IX. 27. cum ait, *castigo corpus meum, et in seruitutem redigo, et alibi Rom. c. VII. 23. video aliam legem, in membris meis, repugnantem legi mentis meae.* Hic stimulus carnis aptissimus est ad hominis superbiam refringendam. Nihil enim foedius videri potest homini, secundum spiritum viuere cupienti, quam impuris concupiscentiae facibus agitari, et quibus cogitur iugiter inuigilare et continenter

certare. Eam vero iure suo angelum satanae adpellat; suae enim hos concupiscentiae motus considerat tamquam daemonis effectus, vel eas esse putat tamquam instrumentum, quo daemon vitur ad imperi suum in hominibus vel instituendum vel latius protendendum. Hoc autem ex Dei permissione accidit, quemadmodum apostolus inquit hoc in loco et deinceps, ut ea humilitas, quam ciebat in ipso motus ille, quem, licet inuitus, in carne sentiebat, virtutem illius seruaret, et superbiam procul auerteret, quae efficere potuisset, ut omnium meritorum suorum iacturam faceret. Paulo datus est palus ad premendam superbiam, ut in curru triumphali triumphanti datur monitor suggerens, hominem te esse memento. Haecenus ille. Profert deinceps duas rationes contrarias, vnam, a Pauli prouectiori iam illo tempore aetate ductam, atque huiusmodi sollicitationibus non amplius valde, ut videtur, aptam: alteram vero a prudentia apostoli, pro qua Paulum non commissurum fuisse credibile sit, ut vitium hoc animum sollicitans Corinthiis, nedum pseudapostolis innotesceret, qui huiusmodi internorum patefactionem cupide arripere, eaque ad detrahendum de ipso abuti potuissent. Quae cum exposuisset, ad illa respondere conatur.

## §. XXVII.

Nobis vero haec sententia, ut nos statim in principio lectoribus aperiamus, nullo modo probatur, et quidem duplicem ob causam. Primo igitur nemo non videt, longius illam a propria et vsitata verborum potestate recedere, ac generatim ab orationis genere Paulino abhorrere. Paulus enim de re ipsa, de prauis scilicet cupiditatibus, in epistolis suis differens, aliis longe verbis ac sententiis vitur, ex quibus de mente illius constat; ex his vero verbis sententia illa vix, nisi per multas ratiocinationes confici potest. Deinde, licet certissimum sit per se, pias etiam sanctitatisque studiosissimas mentes pravae huiusmodi cupiditatis motibus grauius interdum, et cum ingenti animi dolore atque inuitissimas sollicitari et excruciarı posse, id tamen non satis conuenire videtur cum iis, quae Paulus in prima ad Corinthios epistola (c. VII. 7. VIII. 5.) de se adfirmat; ex quibus omnino apparere videtur, eum singulari continentiae munere a Deo instru-

atum





tum fuisse, ut eam ob causam facile atque aequo animo matrimonio illiusque usu carere poterit: quod quomodo cum sententia de atrocibus huiusmodi sollicitationibus satis coniungi possit, quo minus Paulus secum ipse pugnet, alii viderint. Nec rem confici censemus, si forte excipias utrumque, diuersis modo temporibus fieri potuisse: fieri enim id omnino posse, concedendum quidem est; in hoc vero negotio illud factum esse, probandum est. Loci, a CALMETO supra prolati id nobis probare nondum videntur. Id quidem ex iis apparet, apostolum necesse etiam habuisse, ad munus illud Dei custodiendum, ut corpus coerceret, ac materiam quasi cupiditati subtraheret; sed tam atrociter ab illa, ut haec sententia fert, vexatum esse, indenon constat. Constat potius contrarium ex eo, quod apostolus aequo animo ac sine graui incommodo coelebs viuere, et hac opportunitate ad id uti potuit, ut ad officii apostolici munera obeunda eo expeditior esset. Tertio denique id maxime hanc sententiam premit, nobisque veri admodum dissimilem efficit, quod prima cupiditas ipsa per se, ac primi etiam illius motus sine dubio in vitio sunt, etiamsi homine inuito, indignante ac dolente concitentur. Iam vero apostolus malum, quo cruciabatur, in eo malorum genere aperte numerat, quo gloriari volebat; ecquis vero sibi persuadere poterit, Paulum vitiis adhuc inhaerentibus ortisque inde sollicitationibus ad mala gloriari voluisse: quantum quae so nefas, quam iniuriosum esset, de viro sanctissimo tale quid cogitare, quod non nisi impiis in mentem venit, qui eam ob causam pessime in sacris litteris audiunt. Quod si porro reliqua (c. X. XI XII) cum in hac ipsa epistola, tum alibi consideremus, quae Paulus in eo genere rerum ponit, quibus quis certo modo gloriari possit, nihil sane in iis numeratum inuenietur, quod per se malum atque in vitio esset. Sic apostolus quidem saepius, ut supra monuimus, de furore suo, quo ante reditum ad frugem concitatus erat, meminit, nunquam vero se illo gloriaturum esse dicit. Quod si vero obiecta ita dissoluere velis, quemadmodum etiam CALMETVS (l. supra citato) facere videtur, ut contendas, apostolum non ipso vitio et impetu pravae

libidinis, sed illius repressiōe ac confessiōe ingenua gloriari, quae in bonis et rectis numeranda sint; facile apparet, haec quidem ab interpretibus, sed non a Paulo dici, qui profecto rem ipsam se excruciantem in infirmitatibus illis numerat, quibus gloriari placeat. Quae cum ita se habeant, hanc sententiam diutius non moramur, si modo vnum adhuc contra illam adiecerimus, huiusmodi scilicet sollicitationes pravae cupiditatis non infrequentes apud bonos esse, ac proinde inter mala extraordinaria ac singularia, quae paucis et raro accidunt, numerari non posse; cuiusmodi tamen calamitatem apostoli fuisse omnia clamant.

## §. XXVIII.

Progredimur nunc ergo 3) ad illam, quae magnae interpretum multitudini se magnopere probavit, sententiam exponendam, quaeque primo ad spectu rem, si non plane conficere, praecipuam tamen in re difficili ac dubia assensionem mereri videtur. Crediderunt videlicet quam plurimi, *sudem carne et colaphos angeli satan* significare sublimes, singulares, acerbissimasque sollicitationes satanae, in eo maxime positas, ut, Domino permittente, extrinsecus apostolo pravae, et imprimis maledicas, atque in ipsum Deum probrosas cogitationes iniecerit Paulo; satanam enim id omnino facere posse, satis aliunde constare, et apostolum menti hoc modo iniecta alibi *tela satanae candentia* (Ephes. VI. 16.) simili orationis genere appellare videri. Optime etiam in hac sententia intelligi posse censent, cur haec, quam perpeti cogebatur, calamitas, animo tam exquisitos dolores attulerit, ut etiam atque etiam malum illud deprecari in animum induxerit: homini enim pio, Deumque impense amanti ac veneranti nihil gravius, nihil acerbius accidere posse, quam si ingratis suis, et contra intimam animi sententiam huiusmodi cogitationes, extrinsecus iniectas sentire cogatur. Verum enim vero, licet haec non sine magna veritatis specie dicantur, accuratius tamen expensa nobis non sati faciunt. Primo enim etiam haec sententia nimium a propria verborum significatione recedit. Collatio loci citati ex epistola ad Ephesios rem non expedit: ibi enim ex tota orationis cohaerentia perspicuum fit, Paulum

lum de variis aggressionibus satanae, spiritualibus maxime, verba facere hic vero nihil occurrit, quod nobis idem persuadeat. Deinde malum illud Paulum exerceans erat valde inusitatum: permittum enim fuerat a Domino propter rem plane inusitam, quae ipsi contigerat. Iam vero iniectae huiusmodi cogitationes pravae adeo inusitatae non sunt, sed multis piis mentibus cum magno suo moerore accidere solent. Denique rursus difficile est ad credendum, apostolum tam pravas cogitationes, extrinsecus licet iniectas, in iis infirmitatibus numeraturum, quibus gloriari velit: inter reliqua enim, quibus gloriatur, simile quid reperire non licet. Cum igitur sententia de malo animi, in quamcunque etiam partem nos vertamus, in graves difficultates incurrat; alii aliter rem expedire conati sunt.

¶ **XXVIII.** Ergo multi sibi persuaserunt, apostolum gravi aliquo corporis morbo adfectum fuisse, quem satanas vel ut Iobus primum attulerit, vel saltem valde exasperaverit. Quis vero aut qualis morbus fuerit, de eo rursus in varias sententias abeunt; nonnullis etiam nihil potius definire volentibus, quam temere opinari. Audiamus rursus haec edisserentem, auctoresque simul, ex veterum imprimis numero, laudantem **AVGVSTINVM CALMETVM**; quamquam haec opinio etiam inter recentiores, medicos imprimis, adfensores nacta est, qui sua arte adhibita rem optime explicari posse sibi persuaserunt. Ira vero ille, quem modo nominavimus, interpres; plerique veterum, inquit, ac recentiorum erodunt, duplici hoc verbo S. Paulum nihil aliud innuere voluisse, nisi corporis aegritudinem, quam illi daemone iniecerat; verum quanam haec esset, non satis constat; utrum ille laboraret ex capite, an ex auribus, an ex visceribus, an ex chiroagra, an generatim acuto aliquo morbo, an simplici languore, an iugi infirmitate, daemone tormenti huius auctor erat et minister, quemadmodum scriptura illi tribuit pleraque mala, quae nostris accidunt corporibus, e. g. morbum Iobi, mortem primogenitorum aegypti, caedem exercitus Senacherib, et alia sexcenta, de quibus in veteri ac novo testamento sermo est, quae vero omnia exhibentur tamquam supplicia, quae Deus quidem prae-

scribit, *daemon vero exercet.* Haecenus ille. Videamus iam, quid de ipsa re statuendum sit. Ad commendationem igitur huius sententiae omnino pertinet, quod propius ad naturalem atque vsitam verborum notionem accedit; ad carnem enim proxime, siue ad corpus, pertinuisse malum illud ab angelo satan inflictum statuit, quo propria vocabuli *καταδυσειν* significatio cogitationes nostras deducit. Accedit, quod Jobus aliique pariter corporis morbis a satana adfecti leguntur. Parum ergo abesset, vt illi accederemus, nisi nonnulla nobis adhuc obstarent, ac nisi melior adhuc superesset, quae huic palmam praeripere videtur. Obstant vero nobis adhuc sequentia. Primo scilicet nulla adparet ratio, cur apostolus non distinctius id nobis significasset, si vera de morbo aliquo loqueretur proprie sic dicto: cur enim, quae so, eum non potius vocabulo vsitato, *ποσει* vel simili, quam colaphos appellaret? Si itaque aliquid cogitari potest, quo difficultas haec tollatur, illud sane anteponendum putamus. Deinde si modo morbus aliquis, etiam grauissimus dolorisque plenus, fuit, anxietatem quoque animi adferens; extraordinarium illud malum aut adeo inusitatum non fuit; quale tamen omnino fuisse, propter exsuperantem inusitatamque reuelationis rationem, apostolus omnino significare ac res ipsa postulare videtur. Denique ipsa deprecatio Pauli triplex animos nostros ad alia videtur deducere; imprimis si (vt in prima disputatione ostendimus) responsum domini conferamus, ex quo verisimile videtur, malum illud ita fuisse, ob insolentiam non minus quam acerbitatem, comparatum, vt apostolo cum dubitatione certandum fuerit, an forte gratia Domini erga se aliquantum imminuta sit. Id vero quomodo apostolo ita videri potuerit, si modo simplex corporis morbus fuit, difficilium est ad intelligendum: morbi enim, etiam atroces, inter illa mala et incommoda numerantur, quae impiis non solum sed etiam bonis, promiscue accidere solent. Apostolus praeterea sane magis iam aduersis exercitatus, vsu peritus, experimentisque edoctus erat, quam Jobus; qui tamen, quoad ipsi cum corporis fortunarumque malis, etiam grauissimis, colluctandum erat, satis se virum praestitit, vt ipsam vxorem, concurrentibus ex  
 omni

omni parte et subitae tempestatis instar ingruentibus tot calamitatibus vehementer perturbatam et ad pessima consilia impellentem, grauitur dedocere potuerit: *loqueris more sultarum*, inquiens, *bonum accepimus a Domino, et malum iam non aequo animo suscipiemus ac perferemus.* Accedente vero postea ad corporis fortunarumque mala, animi quoque siccitate spiritali, exarescentis quasi tristitia, terroribusque irae diuinæ percussi, ipse quoque de statu animi deiectus et curarum aestu fluctuans durius tandem locutus legitur. Paulum igitur, qui haud paullo longius in viis Dei prouectus fuerat, quam Iobus, pro communi cognitionis ac gratiae temporis N. T. modo, morbo, etiamsi grauissimo, ita se perturbari passurum fuisse, vix credibile est, vt tali alloquio Domini opus fuerit, quo animum illius confirmari oportebat.

III) Ad tertiam itaque sententiam potiore iam progredimur, quam viri docti ad explicandam hanc Pauli calamitatem excogitarunt, sibi et aliis variis argumentis persuadere conati sunt. Crediderunt scilicet nonnulli, optime rem impeditam expediti posse, si verbis apostoli obscurioribus lumen ex antiquitatis moribusque veterum adferatur. Quod studium, sicuti per se laudabile est, cum multi omnino s. litterarum loci ex moribus hominum et temporum priscorum, atque ex regionum etiam natura statumque antiquo tum explicari tum illustrari oporteat, si aut veram aut plenam illorum sententiam recte perspicere velimus; ita tamen magnas cautiones habere, dubitari plane nequit, si ea considerentur, quae recentiori aetate viri docti ex scriptoribus iudaicis, ethnicis, Muhammedanis ingenti ac ferreo labore congesserunt, eo quidem consilio, vt de s. litterarum interpretatione bene mererentur. Quorum nisi quis prudentem delictum habeat, aut si omnia illa, eo, prouti auctores volent, modo ad rem pertinere existimet, nae ille magnopere fallatur, et non solum a vero salutarique huius libri Dei vsu, farragi e rerum alienarum facile abducetur, vt nucleo praetermissa in cortice haereat, verum etiam in multis a vera ac genuina verborum senten-

sententiarumque significatione aberrabit, scriptoresque sacros multa in animo habuisse credet, quae ipsis nunquam in mentem venerunt. Accidere enim id solet mortalibus, ut quisque artem suam, quam maxime amat et tractat, vtilissimam etiam dignissimamque, in qua elaboretur, credi velit: ex quo facile fit, ut illa etiam in iis rebus uti gestiat, in quibus tamen illius usus non satis idoneus est.

## §. XXXI.

Videamus ergo iam, quid hac in re a viris doctis tentatum sit, et quo successu. Exstat igitur IO. GODOFREDI LAKE-  
MACHI *disquisitio philologica de palo carne Paulo data ad illustrandum 2 Cor. XII. 7. in Bibliotheca Bremensi*, (cl. VI. fasc. 4. n. 3. p. 635 seqq.) cuius summa eo redit; respicere Paulum ad aliquod poenae inter Iudaeos genus, quod molestissimum fuerit, quod vero ipse, licet innocentissimus, non raro fuerit perpeffus. Hoc posito porro statuit, apostolum morem iudaicum, fontes flagris caedendi, in animo habuisse haec scribentem. *Σκολοψ* ergo primo illi significare videtur columnam illam, siue palum terrae infixum, cui pronum fontis corpus adstringebatur, quo tergum quam optime ictibus pateret, ut sententia verborum *εδοθη μοι σκολοψ τη σαρκι*, tandem haec sit: *iunctus est palus corpori, vel corpus iunctum palo, ut premat corpus palum, et ab hoc prematur.* (l. c. p. 642.) Progressus deinde Vir Doctus ad verba sequentia: *angelus sathan ut me colaphis caedat*; primo contendit, deficere coniunctionem copulantiem *καί*, quoniam id, quod his verbis dicatur, distinguendum omnino sit ab illo, quod per *σκολοψα* intelligatur. Deinde obseruat, vocabulum *αγγελος*, fere nemine inficiante, etiam in hominibus interdum poni solere: quod si et hoc in loco teneatur, optime de sic dicto Iudaeis *הסן הכנסת* s. *ministro synagogae* cogitari; cuius fuerit, fontem caedere. Vocabulum *Satan* vero ex illius opinione signat hostem aliquem et aduersarium Pauli ex hominum numero; licet valde repugnare nolit, si quis principem illum malorum angelorum hic quoque intelligere malit, cui homines mali operam suam ad improba ministeria commodauerint. Vocabulum *κολαφιζειν* in eam sententiam

tiam accipit, vt, licet proprie idem sonet, ac colaphis caedere, hic tamen significet, loris vrere; hac ratione nixus, quod in metaphoris et allusionibus vocabulorum accuratio exacta non seruetur (p. 641.) dicitur denique sententiam de ipso malo, translata hac oratione significato, generatim intelligi censet, quidquid *αὐθιγίας* nomine apostolus appellet, et appellari possit. Si vero quaeras, cur apostolus mala haec verbis ac sententiis ex Iudaeorum moribus et rebus petitis describat, illud ex eo factum esse contendit, quoniam Iudaei maxime eum et ipsi vexauerint, et ethnicos quoque frequentissime in illum concitauerint (p. 645. seq.) Tandem igitur, omnibus, quae dixerat, in summam collectis, orationem Pauli ita *καὶ εἰπὼν*: *Me forsitan factus aliquis ex praerogatiuis inuaderet, si ex voto meo semper res succederent, ac retinacula abessent omnia, nec diuinae obstarent calamitates et vexationes, quibus me premunt Iudaei, hostes veritatis iurati, quorum in exspirando christianismo studium est indefessum; tantae autem aduersitates, cum quibus luctandum mihi est, facile efficiunt, vt spiritus, qui subiaci mihi possent, omnes suffocentur ac reprimantur* Subiunxit huic disputationi adnotationem THEODORVS HASAEVS, qua superiorem sententiam confirmare conatur. Omnia vero ab ipso dicta pariter eo redeunt, vt probet, *καὶ εἰπὼν* interdum latius patere, atque idem significare, ac quouis modo flagris caedere, aut verberare, simulque Chrysostrorum imprimis laudat, hanc sententiam iam confirmantem: eandem denique vocabulum vim aliis quoque in locis esse arbitratur. (1 Cor. III. II. 1 Petr. II. 20.)

## §. XXXII.

Sed vt haec omnia non sine specie dicantur, nobis tamen, omnia nobiscum reputantibus, minime probantur. Primo enim in ipsorum verborum sententiarumque notionibus explicandis nimis nobis recedere videntur Viri Docti a propria potestate; id quod interpretationis fidem admodum suspectam reddit, nisi aperta necessitas id cogat, quam nos quidem hac in re non videmus, vt infra dicendi locus erit: deinde rebus ipsis ac consilio apostoli haec sententia non satis conuenire videtur. Vtrumque

que, pace lectoris, paucis ante oculos ponemus. Quod itaque ad prius argumentum contrarium attinet, quod nos sententiam supra expositam repudiare cogit: primo displicet, quod vocabulo *σκολοψ* notionem columnae s. pali subiiciunt, cui flagris caedendi incurui adringebantur: id quod tamen nullo satis idoneo exemplo ab ipsis probatum videmus; tota enim res per coniecturas agitur, et summum id probatur, vocabulum huiusmodi palum significare posse, nullum vero certum exemplum ex idoneo scriptore profertur, qui in eam sententiam acceperit. Et licet *σκολοπιζειν* apud profanos auctores idem interdum sit ac ferali crucis trabi adfigere; vocabulum tamen ipsam in scriptis N. T. atque imprimis in Pauli epistolis nunquam occurrit, licet supplicii illius, et in propriam & in translatam sententiam, frequentissime mentio fiat. Accedit, quod posita hac sententia, non tam *ἐδόθη μοι σκολοψ σαρκι*, seu *datus est mihi palus carni* quam potius *ἐδόθη μοι σκολοπι*, seu *datus vel impostus sum palo*, dicendum fuisset. Quamquam enim non negamus, primam formulam loquendi interdum pro posteriore in simili oratione poni, ac v. g. *currum iungere equis*, pro *equos currui iungere*, dici solere; certum tamen est, posterius loquendi genus naturae rei aptius esse, ac proinde non nisi necessitate urgente ceterisque paribus in interpretando statui debere, illud cum priori commutatum esse. Deinde licet notio vera vocabuli *σκολοψ* ex N. T. scriptis illustrari nequeat, cum in iis, ipso quem tractamus loco excepto, nusquam occurrat, ac proinde ex profanis auctoribus iure illustrari videatur; occurrit tamen apud LXX interpretes, quorum orationis genus scriptores s. sine dubio magis respicere sibi que ad imitandum proponere solent, quam auctores profanos: merito ergo illa vocabuli vis a Paulo anteposita creditur, quam laudati interpretes illi tribuunt; apud quos illud, ut in prima disputatione iam vidimus, acutum quid signat, quod in cutem et carnem penetrat, exquisitissimumque dolorem adfert. Nec obstat, quod a viro docto obicitur, sudem non dici *infixam*, sed *datam*; facile enim appareret, vocabulum *dare* non in iustate pro indere etiam dici posse. Cogitur denique etiam auctor eius, de qua disputamus, sententiae defini-



deficientem coniunctionem καὶ ante verba, ἀγγελος σαταν, statuere, quod pariter durius videtur, licet alioqui non negemus, hanc particulam in oratione interdum praetermitti. Eadem ratio est verborum ἀγγελος σαταν, quae viris doctis supra laudatis ministrum *Synagogae*, solum flagris caedentem, significant. Sed, ut verum fateamur, obtorto, quod aiunt, collo nobis ex antiquitate Iudaica huc rapi videntur, quae ad confirmandam hanc interpretationem inde proferuntur. Verum cum tota res in prima disputatione (p. 54 seqq.) iam satis expensa sit, dicta ibi iam repetere nihil attinet. Nec denique probare possumus, quod κολαφίζεν idem hic esse, ac flagris caedere, contendunt. Faciamus enim, vocabulum hoc interdum latius patere, et generatim *to serire* significare, quocumque illud modo fiat; concedendum tamen est, proprie significare colaphis caedere. Ergo haec notio praestat, quoad fieri potest. Id quod tanto magis locum habere debet, cum vocabulum apud historiae scriptores in eandem sententiam accipiatur, dum de Domino, crimina nostra luente, quam contumeliose habitus sit, exponunt. (conf. Matth. XXVI. 67. Marc. XIV. 65.) Credibile ergo admodum est, Paulum, propria vocabuli significatione retenta, nobis significare voluisse, se in hoc quoque contumeliae ac calamitatis genere similitudinem cum Domino ac Servatore nostro habuisse; dum perinde, atque ille, colaphis caesus sit. Quibus argumentis vnum adhuc adiciamus. Paulum saepius flagris caesum esse ex actis constat, nunquam vero vocabulum κολαφίζεν de illo supplicio adhibetur. Immo ipse in hac ipsa epistola, non longe ab hoc ipso, quem excutimus, loco ea enumerat nobis, quae cum ab ethnicis, tum a Iudaicis in hoc genere perpeffus sit, at vero verbum κολαφίζεν minime ponit; sic enim scribit (c. XI. 24. 25.) *a Iudaicis quinque perpeffus sum ictus quadraginta minus uno: ter baculis caesus sum.* Quod si ergo apostolus hoc, quem tractamus, loco flagra loris insicta vocabulo κολαφίζεν dicere voluisset, prouti supra laudati interprete contendunt, nulla plane apparet ratio, cur minus vilitato ea de re vocabulo, ac non potius illis verbis uti voluerit, quibus eandem rem paulo ante et ipse expresserat, et alibi in scriptis N. T. expressa legitur.

## §. XXXIII.

Nec iuuat viros doctos, contra quorum opinionem disputamus, collatio locorum (1 Cor. III. 11. et 1 Petr. II.) in quibus vocabulo, *κολαφίζεσθαι*, generatim *caedendi* notionem subiectam esse existimant; probandum enim ante illud ipsis erat, quam tam confidenter statuendum. Nihil vero nec ab ipsis adlatum videmus, nec a quouis alio facile adferri posse credimus, quod vilitatem vocabuli *κολαφίζεσθαι* notionem in iis deferendi necessitatem persuadeat liberi iudicii lectoribus. Primus locus ex epistola priori ad Corinthios ita se habet: *vsque ad praesentem horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et incertis sedibus vagamur.* Ecquid hic prohibet, vilitatem vocabuli *κολαφίζεσθαι* notionem retinere, aut quid cogit generaliore illam in illius locum substituere, quae nullo idoneo atque indubitato N. T. loco probari potest. Dicere quidem aliquid videtur Theodorus Hafaeus (l. c.) dum obseruat, vocabulum *κολαφίζεσθαι* subiici hic vocabulo *γυμνῶμεθα*, s. *nudi sumus*, hanc autem coniunctionem tum admodum egregie conuenire, si *κολαφίζεσθαι* hic idem sit, ac flagris caedere; caedendos enim vestibus ante spoliari solitos, quam loris vrerentur. Verum enim vero, licet hoc primo adpectu speciem aliquam habeat, nihil tamen eo efficitur. Potest enim *γυμνῶμεθα* hic malum nuditatis singulare seorsum ac per se significare; non quatenus flagellationem antecederet, ac necessarium illius, breue tamen, adiunctum erat. Immo non solum posse verba apostoli in hanc sententiam, quam diximus, accipi; sed etiam plane debere, firmis argumentis cum ex ipsa orationis conformatione, tum ex collatione locorum similium ductis comprobari potest. Quod ad primum attinet, coniunctio copulans *καὶ* cuius malorum enumeratorum praeposita, satis indicat, vnum quodque verbum malum aliquod separatum ac seorsum a reliquis spectatum significare. Deinde idem perspicue ex aliis locis liquet, in quibus apostolus calamitates suas enarrat, atque in iis malum nuditatis pariter tamquam singulare aliquod seorsum commemorat. Sic in epistola ad Romanos (c. VIII. 35.) *quis nos seimget*, inquit, *ab amore Christi,* adssi-

adſiſtio, an anguſtia, an exagitatio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius &c. Hic lane nuditas tamquam malum aliquod fingulare ſpectatur, quod apoſtolo interdum acciderat vel propter egeſtatem, vel propter itinera moleſta, vel etiam propter latronum imperus, in quos ſe incidiffe interdum alibi diſerte teſtatur. Imprimis vero locus ex ipſa hac poſteriori epiſtola ad Corinthios notabilis eſt. (c. XI. 27.) vbi apoſtolus, *in fame, inquit, et ſiti, in ieiuniis ſaepe fui: in frigore et nuditate.* His vbi Paulus ruruſ nuditatem tamquam malum aliquod ſeparatum inter reliqua, quae ipſi acciderant, numerat, et quidem ita, vt de veſtium detractioe, quam ante flagellationem fieri neceſſe erat, nullo modo cogitari poſſit: flagrorum enim iam ſupra (com. 25.) diſertam ac ſeparatam mentionem fecerat. Vt taceamus, apoſtolum in omnibus his locis nuditatem cum fame, ſiue inopia victus, coniungere, atque proinde ſatis ſignificare, nuditatem, quam narrat, veſtium penuriam, non vero detractioem illarum ad breue tempus, flagrorum cauſa, ſignificare. Id quod etiam ex locis de contrario agentibus apparet, in quibus cum vidu neceſſario amictus quoque ſolet coniungi. V. g. in priorē ad Timotheum epiſtola apoſtolus (c. VI. 8.) *ſi victum, inquit, et amictum habemus, contenti ſimus.* (conf. Matth. VI. 25 ſeqq cap. XXV. 35. 36. Ief. LVIII. 7) nudus vero, quod verbo adhuc monere liceat, non ſolum ille eſt et dicitur, qui veſtibus plane caret: ſed etiam, qui male veſtitus eſt, vt frigora aliasque tempeſtatum iniurias ſatis defendere et corpus munire nequeat: immo vocabulo hoc penuria quoque tecti ac cubilis ſignatur, quibus corpus pariter quaſi induitur, quemadmodum amictus nomine cubile quoque et tectum neceſſarium comprehendendi ſolent. (conf. 1 Tim. VI. 8.) Ex his omnibus vt par eſt inter ſe collatis ſatis liquere exiſtimamus, Paulum in illo prioris ad Corinthios epiſtolae loco id plane non dicere, quod Viri Docti illi adſingunt.

## §. XXXIII.

Nec maius ad hanc rem momentum habet alter locus, ad confirmandam notionem vocabuli *κολαφιζειν*, ex priorē epiſtola Petri

Petri (c. II. 20.) proferri solitus, ubi apostolus: *nam quae laus, inquit, est, si peccantes et colaphis caesi, perfertis; verum si bene facientes patienter perfertis, haec gratia est apud Deum.* Hic rursus contendunt viri eruditi, vocabulum *κολαφίζεω* generatim significare caedere, et quidem flagris maxime, quippe quo supplicii genere serui maxime adfici consueverint. Sed ne hic quidem aliquid in medium prolatum videmus, quod nobis hanc sententiam persuadeat. Fac enim, seruos hoc supplicii genere adfici solitos, quod sane nemo negabit; non minus tamen certum est, nihil frequentius fuisse, quam ut etiam colaphis caederentur. Cum igitur vocabulum, *κολαφίζεω* ultimum hoc poenae genus maxime signet, cur haec notio retineri nequeat causam profecto adeo nullam videmus, ut contrarii potius causas nobis videre videamur. Colaphorum enim primo apostolus mentionem facit, in tali sermone, quo seruos Christo deuotos cohortatur, ut non solum benignis et aequis, sed prauis etiam dominis reuerentiam atque obedientiam praestent. Praui autem domini, ut ex contrario apparet, sunt duri, iracundi, saeui, qui vel minimam occasionem arripiebant, saeuitiam in seruos exercendi; id quod commode per colaphos fieri poterat. Est enim hoc poenae genus extemporale et subitum, cuius facultatem furor omnium facillime ministrabat. Hinc apud comicos ethnicorum, ubi de seruis agitur, colaphorum frequens mentio est, quibus etiam interdum in terram desigebantur. Confirmat idem exemplum Christi, seruis ab apostolo ad intuendum imitandumque propositum, qui personam serui gerens, pariter indignissime velut seruus habitus sit, illud vero, ut nobis libertatem a turpissima seruitute pareret, aequo animo pertulerit. Cum itaque inter indignitates illas, quae Domino, serui personam sustinenti, acciderunt, colaphi etiam diserte numerentur, nulla nobis sat grauis ratio occurrit, cur colaphos seruis inflictos, ad quorum perfectionem exemplo Domini hortatur apostolus, aliud poenae genus fuisse existimemus, quam illud ipsum, quo Dominus, eodem plane vocabulo, a vitae scriptoribus adhibito, adfectus legitur.

## §. XXXV.

Non solum vero haec virorum doctorum, quibus cum nobis res est, interpretatio verbis apostoli non satis conuenit, sed etiam res ipsa, quam agit, maxime repugnare videtur. Id enim incorruptis lectoribus satis constare putamus, apostolum extraordinariam aliquam et iniustatam calamitatem dicere, quam subire coactus fuerit, ne animus exsuperantia reuelationis effertur; ecquis enim iure dubitet, malum insiditum, pro modo reuelationis exsuperantis, pariter communem modum transiisse. Iam vero si angelus satan, vt haec sententia vult, nil nisi minister synagogae est, colaphi vero nil nisi flagra, quibus nequam ille apostolum infontem cecidit, tum nihil singulare, nihil plane extraordinarium in hac calamitate est; quippe quam apostolus, vt ipse meminit (c. XI. ) saepius iam subierat, quaeque valde visitata erat, vt multi etiam alii subire cogentur. Quae omnia sicuti nos prohibent, quo minus huic sententiae accedamus, ita quoque non minus contra interpretationem PETRI VON SARN valent, in disputatione *de angelo satan Paulum colaphizante*, propositam (in Biblioth. Brem. Cl. VII. fasc. III. N. 6. p. 55r. seqq.) huic scilicet displicet, quod illi de ministro synagogae iudaicae cogitarunt; aptius potius esse arbitratur, si angelum satan licentem Romanum dici statuamus, qui non solum Pauli aduersarius, sed et maxime satanae, in gentilismo, et imprimis in imperio Romano veluti throno insidentis et regnantis, appellari queat. *Συνοχ* vero omnium optime columna ipsi videtur dici, cui verberandi apud Romanos adstringebantur: *συναφισεν* vero per synecdochen ipsi quoduis poenae genus est, quo quis adscitur. Sed, vt iam diximus, merito illa omnia huic sententiae non tantum ipsam quam personas tantum mutanti opponuntur, quae contra superiorem disputata sunt. Quam ob rem non opus est plura addere, si modo hoc vnum adhuc adiecerimus, verisimile non videri, Paulum licentem Romanum tam graui nomine appellaturum, qui tamen tanquam minister nihil aliud faciebat, quam vt mandata magistratum, animaduertendo in reos, exsequeretur; et cui sane non nisi rarissime datum erat, certo cognoscere

scere ac statuere, vtrum huiusmodi nocens sibi traditus iure an iniuria plesteretur. Quod si ergo vel maxime sententiae huius rationem habere vellemus, convenientius esset, nomine *angeli satan* magistratus praesidesque Romanos potius signatos dicere, qui innocentes nihilque mali commeritos condemnabant. Hinc etiam alibi Paulus, summi sacerdotis Ananiae (Actor XXIII. 2.) iussu percussus, non in ministrum sceleris, sed in auctorem inuehitur, eumque graui nomine parietis dealbati redarguit. Quamquam enim ministerium in malis, si haec aperta et certa sint, atque a ministro iudicari queant, omnino crimen sit, culpa tamen in eo maxime haeret, qui improbum ministerium subiectis iniungit.

## §. XXXVI.

III.) Denique calamitatis huius genus ita expedire conati sunt nonnulli, vt sibi persuaserint, *σκολοπα* et *angelum suan* vel quemuis Pauli aduersarium significare, vel singularem aliquem reliquis saeuiozem, qui tamquam satanae emissarius impetum in eum fecerit. Cogitarunt ideo nonnulli de Alexandro Fabro, quem apostolus alibi grauitur notat, eumque cauere iubet, quoniam se ipsi valde opposuerit: alii vero de pseudapostolo quodam coniecturam protulerunt. Sic v. g. IOH. IAC. RAMBACHIVS in disputatione *de ignorantia exegeseos multarum reliquiarum matre*, inserta Bibl. Bremensi (Cl. VII. fasc. VI. n. 4. §. 9. p. 1025. seq.) hunc in modum scribit: *Prouerbialis est locutio, quum Paulus 2 Cor. XII. 7. mentionem facit pali, qui carni ipsius infixus sit. Σκολοφ veteribus idem; quod σάρακος, crux: ita Hefychius σκολοπες σάρακι, et ἀνασκολοπισθεν idem quod ἀσάρακος: vti Lucianus in vita Peregrini benedictum nostrum seruatorem cruci adfixum vocat σκολοπην ἀνασκολοπιστηνον* vbi igitur latine dicimus, crucem figere, de eo, qui grauem alteri molestiam creat; ita Paulus aduersarium aliquem ex pseudapostolis, a quo supra modum vexabatur, *σκολοπα* appellat, hoc est, crucem et quasi tortorem suum; *satanae insuper angelum suae ministrum ac satellitem* Cor. XI. 13. 14. qui colaphis ipsum excipiebat, hoc est, publicis et atrocibus calumniis proscindebat, quod c. XI. 20. est eis *περὸς ὧτων* degeiv. Haec quum *non* obseruauerint

reli-

reliquiarum cultores, Pauli etiam palum in apothecas suas receperunt. Sed ne haec quidem sententia verbis ac consilio apostoli satisfacere videtur, quae omnino id postulant, vt singulare aliquod malum, ab illis, quae c. XI. commemorat, omnino distinctum intelligatur. Nimis praeterea a verborum propria significatione haec interpretatio recedit: si enim *αγγελος σαταν* pseudapostolus est, satanae minister, vt contenditur, ecur apostolus ambiguo vocabulo, *αγγελος*, vsus est in hac oratione; cum tamen paulo supra (c. XI. 13. 14.) pseudapostolos describens tamquam satanae seruos, eos non ambiguo hoc vocabulo *αγγελος* satanae, sed *δαιμονος* s. ministros appellet. Deinde Paulus de principe illo malorum spirituum loquens, semper eum *σατανης* nominat; nunquam vero *σαταν*, sicuti iam in prima disputatione monuimus; ecur ergo in vno hoc loco ab illa consuetudine loquendi recederet, quam aliis in locis, atque in ipsa hac epistola constantissime seruat. Nec placet, quod colaphis caedere idem esse dicitur, ac *conuictis atrocibus proscindere*. Vix enim exemplum huius loquendi rationis exstat; in sacris litteris saltem indubitatum non occurrit; in his enim vocabulum *κολαφισειν* sine dubio atrocius quid significat, iniuriam scilicet non verbis, sed ipsis rebus illaram. Nec ad rem facit formula loquendi, *εις προσωπον δερειν*, s. *faciem verberare*, quae ex c. XI. profertur: nulla enim ratio satis ardua apparet, cur propria verborum significatio etiam hoc in loco retineri aut non possit, aut non debeat. Potuit enim omnino fieri, vt pseudapostoli aut insultauerint hoc modo nonnullis ex Corinthiis, aut, vt saltem non longe ab illatione tam atrocis iniuriae abfuerint, indulgentia Corinthiorum nimioque eorum erga se obsequio improbe abusi. Nec enim infrequens est, animos corruptos, et praestigiis deceptorum quasi captos, atrocissima quaeque ab iis perferre cogi, a quibus sibi imponi patiuntur, atque etiam, vt perferant, animum inducere; eum contra ne lenissimas quidem ac meritas reprehensiones, a fidelibus Dei seruis profectas, aequo animo ferre possint. Illud interim facile concedimus, exstitisse forte inter pseudapostolos, qui Corinthios perturbauerant, vnum alterumque, qui tamquam

reliquorum princeps Paulo maxime obtreſcabat; qualis etiam apud Galatas fuiſſe videtur, quorum calamitas pseudapoſtoli pariter fuerant. (cf. c. V. 10.)

§. XXXVII.

V. Sed tempus iam eſt, vt ad eam tandem ſententiam progrediamur, quam nos omnium veriſimillimam exiſtimamus, et quae, ſi auctoritates ſpectemus, ad ſenſum quoque non quidem plurimorum, grauiſſimorum tamen quorundam interpretum confeſcuta eſt. Hanc ergo primo exponemus et confirmabimus; deinde etiam illuſtrabimus, et offendemus, quam apta et conueniens rei ipſi ſit, atque etiam exemplis ſimilibus, in ſacris litteris occurrentibus, adiuuetur. Nobis igitur cum aliis viris doctiſſimis illud ſimpliciſſimum ſemper et optimum viſum eſt, vt verborum notiones maxime propriae in interpretanda hac Pauli calamitate retineantur; quod cur tot Viri Doctiſſimi adeo reformidauerint, vt quiduis aliud potius, quam hoc maluerint, ac propterea tanto cum labore tot alias, longe ſatis petitas, interpretationes circumſpexerint, plane non videmus. Sententia ergo noſtra, vt eam breuiter ac perſpicue comprehenſam ſub adſpectum lectoris ſubiiciamus, haec eſt. Verbis, *εδοθη μοι σκολοψη τη σαρκι*, Paulus figurato orationis genere adhibito, generatim docet, ſe acutiſſimo quodam malo, valde excruciante, ac praeterea ad corpus maxime pertinente, vehementiſſime adſiſſicum eſſe. Quod cur ita ſtatuumus, vocabulumque *σκολοψη* in eam ſententiam, auctoritate et vſu LXX interpretum ſtilique bibliſci confirmatam, accipiamus, in prima diſputatione iam, quantum ſatis eſt, oſtendimus. In praeſenti ad illa, quae ibi dicta ſunt, illuſtranda, adiciamus modo locum ex apocalypſi (c. II. 9.), ſimilitudinem aliquam, quod ad loquendi genus attinet, cum noſtro habentem: ita enim Dominus, ecce *διδωμι*, ſ. *do*, inquit, *ex ſynagoga ſatanae, qui dicunt, Iudaeos ſe eſſe, et non ſunt, ſed mentuntur.* Hic pariter dicuntur dari a Domino, qui ſua quidem praua cupiditate impulſi veniebant, attamen nonniſi Domino ex cauſis ſapientiſſimis id permittente, venire et aliquid tentare potuiſſent. Similes plane ſententiae in hiſtoria Iobi adhibentur, ex quibus



quibus prope est, vt coniecturam faciamus, apostolum historiam illam respexisse, cuius sane argumentum cum re ipsa valde congruit, vt infra erit dicendi locus. Ita vero (c. I. 12.) legitur: *et dixit Dominus satanae, ecce, quidquid ipseus est, in manu tua est, et ipsi tantum manus ne inferas.* et (c. II. 3. 6.) *induxisti me,* inquit, *aduersus illum, vt illum absorberem sine causa; et dixit Dominus satanae, ecce illum in manu tua, tantummodo vitam illius conserva, i. e. relinque ipsi.* Quod itaque apostolus verbis translatis primo dixerat, id deinde propriis declarat, *angelus satan,* inquit, *vt me colaphis caedat.* Quo posito sententia totius enunciati breuiter expressa, haec erit; acutissimum quoddam malum mihi illatum est, dum *angelus satan,* id est valde infestus in me immissus est, vt corpus meum colaphis caedat. Confirmatur haec interpretatio per praetermissionem particulae copulantis *καί*; apostolus enim non dicit; *εδοθη μοι σκολοψη τη σαρκι και αγγελος σαταν;* sed *δωτα mihi est sudes carne, angelus* (scilicet) *satan.* Ommissa itaque copulante particulae haud obscure significat, verba *εδοθη μοι σκολοψη τη σαρκι,* per verba sequentia *αγγελος σαταν να με κολαφιζη,* declarari. Angelus autem *satan,* vt in prima disputatione pluribus demonstrauius, est angelus aliquis proprie ita dictus, ex malorum numero, qui Paulum acriter infestauit, eamque ob causam *σατα.* appellatur. Si vero quaeras, quam in re consistat id, quod Paulo intulit, apostolus respondet, *να με κολαφιζη, vt me colaphis caedat.* Quorum verborum propriam significationem plane retinendam putamus, ac proinde persuasum nobis habemus, apostolum reuera a spiritu hoc infesto colaphis interdum caesum, ac proinde indignis plane modis habitum ac vexatum fuisse. Quomodo vero illud factum sit, vtrum angelus ille apostolo quoque se conspiciendum praebuerit, vt infestam speciem colaphos sibi infigentem cerneret, an aciem oculorum fugiens tam atroci contumelia apostolum adfecerit; definire certo non audemus, Paulo ipso illud non satis distincte significante. Interim veri dissimile aut incredibile minime est, si quis censeat, spiritum illum apostolo, saltem interdum, apparuisse, vt ex infra dicendis patebit.

## §. XXXVIII.

Haec sententia nostra pluribus iam adhuc confirmanda atque illustranda est, si modo vnum praedixerimus. Paulus scilicet dicit, *datus mihi est angelus satan*, non vero, *ego datus s. traditus sum angelo satan*: hoc enim plus esset, maioremque angelo illi concessam in apostolum potestatem significaret. Ex quo credibile est, aduersario illi angustiores a Domino terminos fuisse constitutos, vt apparuerit apostolo, eum quidem libenter, si modo licuisset, plura in Paulum aufurum fuisse. Grauius itaque est, quod apostolus alibi de certis hominibus improbis commemorat, quos satanae tradiderit. Qua de re tamen in praesenti plura non addimus, cum infra aptior adhuc de ea dicendi locus futurus sit. Nunc id tantum venit in mentem, fieri posse, vt forte ex ipsis his, quae in mente habemus, exemplis, (1 Cor. V. 5. 1 Tim. I. 20.) ad sententiam nostram illustrandam translatis, aliquid a quoquam petatur, ad illam oppugnandam. Dicit videlicet posset, nos in superioribus contendisse, malum hoc apostolo a spiritu malo illatum, extraordinarium valde ac plane singulare esse debuisse, quoniam reuelationem plane extraordinariam et singularem consecutum, elationique animi inde metuendae, tamquam fortis aliqua medicina oppositum sit; iam vero ex prolatione exemplorum similibus patere, malum illud inter singularem atque extraordinariam referendum non esse, cum aliis eadem, immo nobis ipsis conicientibus, longe grauiora a satana acciderint. Verum enim vero facilis ad haec est responsio. Primo enim id non contendimus, nemini aut tale aut simile aliquid a satana accidisse. Quod licet non statuamus, nec statuere necesse sit, verum tamen est et manet, huiusmodi calamitates inter extraordinarias omnino numerandas esse. Deinde illud maxime obseruandum est, multum interesse inter Paulum ab angelo malo infestatum, atque homines illos impios, a Paulo satanae ad corpus illorum ex cruciandum traditos. Hi enim erant mancipia satanae, qui animos illorum occupatos obfessosque tenebat, et in quibus proinde facilius apparet ratio, cur ei quoque in corpora illorum aliquid permixtum sit; animo enim et corpore satanae seruiebant, eorumque viribus et partibus turpiter

pter in conditoris contumeliam abutebantur. At vero Pauli longe alia ratio est, qui Domino totus erat addictus ac nunquam non memor, se non sui iuris aut mancipii esse; quam ob rem Domino se totum plane emancipauerat, animo et corpore ad illius honorem vtens, atque totus in id incumbens, vt alios a satanae potestate liberaret. Cum ergo corpus apostoli quoque templum Dei ac spiritus sancti fuerit, omniaque membra illius membra quasi Christi existerint, facile apparet, singulare malum illud fuisse, et Paulo admodum acerbum accidere debuisse, quod proxime a malo spiritu, sine cuiusquam interuentu, corpori illius, inferebatur,

## §. XXXVIII.

Verisimile praeterea nobis videtur, vt aliis iam obseruatum est, Paulum quoque in priore ad Corinthios epistola ad malum hoc a satana illatum respexisse; (c. IV. 11.) vbi dicit, *nudi sumus, et colaphis caedimur*. Supra iam planum fecimus, non esse, quod propriam vocabuli, *κολαφιζαν*, notionem hic deferentes ad translata delabamur: in praesenti hoc tantummodo adiungimus, credible nobis videri, Paulum hoc quoque in loco malum illud ab angelo aduersario illatum in animo habuisse; licet ea, quae in hoc genere malorum ab hominibus perpessus fuerat, minime excludi debeant. Ratio huius opinionis in commate 9 sita est; vbi apostolus, *videtur mihi*, inquit, *Deus nos apostolos ultimos ostendisse, tamquam addictos morti: tamquam spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus*. Separatam hic apostolus angelorum mentionem facit; licet igitur certo quoque modo omnino dici possit, apostolos bonis quoque et angelis et hominibus spectaculo quasi fuisse; qui grauissima, quae perpeti cogebantur mala, non sine aliqua admiratione intuebantur; vix tamen, si cohaerentiae orationis rationem habeamus, cum ratione negari poterit, apostolum maxime saltem, malos et angelos et homines intellectos velle, quod rectissime ex commate 11, conficitur. Cum igitur apostolus hoc modo diserte adfirmet, se hominibus non solum, sed etiam angelis malis spectaculo, siue contentui et ludibrio fuisse, sicuti illi, qui in theatris spectaculo erant; ad-

mo-

modum probabile videtur, eum paulo post τὸ κολαφισμὸς mentionem facientem ad id mali genus simul respexisse, quod sibi ab angelo illo infesto illatum esse, in posteriore epistola narrat. Nec quemquam ab hac sententia deterrebit, quod Paulus ibi non de se solo, sed de apostolis generatim loquatur, cum tamen non legamus, simile quid reliquis accidisse, quippe quibus etiam reuelatio talis non contigerit; facile enim apparet, ex huiusmodi oratione non sequi, eadem plane omnibus et aequae grauiam accidisse, sed alios alio modo, angelis et hominibus malis ludibrio esse potuisse. Vt taceamus, apostolum, quamuis de pluribus loquentem, se tamen ut alibi, ita etiam hoc in loco maxime dicere. Sicuti enim bona membrorum corporis Christi sunt communia, ita etiam mala.

## §. XXXX.

Praeterea haec sententia, quae propriam maxime verborum potestatem seruat, rebus quoque maxime conueniens est. Egrege enim primo conuenit loco, coelo scilicet tertio, in quod Paulus raptus dicitur. Contrarii enim plane loci sunt coelum tertium, sedes gloriosa et illustris angelorum hominumque beatorum, atque orcus, locus caliginosus, et tristis, in quo malos spiritus hominesque impios aeterna nox premit. Cum igitur apostolus in locum illum illustrem translatus sit, ipsique ibi audire ac videre contigerit, quae mortalibus acuum adhuc in terra agentibus alioquin inaudita et inuisa sunt; nihil sane aptius erat ad omnem superbiam eo fortius comprimendam, quam si Deus satanae permisit, ut angelum aliquem malum ex orco in eum immitteret, qui eum infestaret. Quod si eo modo factum est, ut verba proprie accepta significant, sine dubio atrocissimum fuit. Sicut vero reuelatio illa Paulo sine dubio contigit, ut eo magis excitaretur ad munus suum strenue obeundum in traducendis hominibus a satana ad Deum, (Act XXVI.) et ad perferendas eo fortius et constantius omnes calamitates, eam ob causam subeundas; ita quoque dubitandum non est, Paulum diuini huius consilii memorem, id etiam ab illo tempore maiori adhuc virum contentionem egisse: quod intuens satanas et sentiens, impetum suum eo fortius

fortius quoque in eum conuertit, permittenteque Domino extraordinario modo apostolum adflixit.

## §. XXXXI.

Deinde in hac sententia omnium facillime apparet ratio, cur malum hoc inter reliqua, quae tolerari oportebat, apostolo praecipue acerbum fuerit. Alibi enim quoque clare nos docet, longe grauiora esse et atrociora, quae a malis spiritibus proxime, quam quae ab hominibus, ad voluntatem licet satanae se accomodantibus, proficiantur. Ita enim ad Ephesios scribens, caeterum fratres mei, inquit, roboramini in Domino, atque in potentia roboris ipsius, induta armatura Dei, ut possitis consistere contra varias artes diaboli: quoniam non est nobis bellum contra carnem et sanguinem, sed contra principatus, contra potestates, contra mundi tenentes, tenebrarum saeculi huius, contra spiritualia malitiae in supercaelestibus. Propterea assumite armaturam Dei, ut possi is resistere in die malo, et omnibus bene ad pugnam comparatis, consistere. Circa quam cohortationem sequentia obseruari velimus: 1) Scilicet manifestum est ex his verbis, Paulum de illo quasi bello, quod exercitus ille ex orco contra fideles, per se maxime ac sine hominum opera, gerit, imprimis loqui; cum alioqui certum sit, diabolo quoque certo modo tribui posse, quod ciuitati Dei a peruersis diaboloque se abutendos permittentibus hominibus intentatur. 2) Id quoque ex verbis Pauli perspicuum est, quae a malis spiritibus hoc modo proficiuntur, longe grauiora ac periculosiora esse, quam quae ab hominibus aut per homines ab iis fiunt. Apostolus enim ex eo maxime totam armaturam Dei induendam esse, et ad inferendum et ad propulsandum bellum, confirmat; quoniam nobis non cum carne et sanguine, sed cum principatibus puternandum sit. Caro enim et sanguis, ut iam dudum ab optimis interpretibus obseruatum est, quoties in sacris litteris occurrit, non virtuositatem in natura humana inhaerentem (ea enim nomine quidem carnis solo posito saepissime, nunquam vero carnis et sanguinis, appellatur), sed ipsos homines, ex corpore imbecillo ex carne et sanguine constante, appellatos significare. Quo posito sententia apostoli est, facilem tum fore pugnam discipulis Christi, quoad

quoad in terris viuunt, pugnandam, si modo res ipsis cum infirmis hominibus sibi similibus esset: iam vero alios hostes longe potentiores atque inadspectabiles esse, qui aduersam aciem instruant, et latius in mundo imperent, quam homines mortales. Hinc etiam in sacris litteris obseuare licet, facillimeque probari potest, Deum euangelii veritatisque contemptum nefarium ac diuturnum, iusto tandem iudicio, eo etiam punire solere, vt diabolo concedat, vt maiorem vim, etiam externam, inter homines exercere possit, ad illos percellendos atque in fraudem inducendos (cf. 2 Theff. II. 9sq. Apoc. XIII. &c.) Quae si teneamus, noua rursus ratio est in promptu, cur apostolo, quae angelus malus per se inferebat, et in ipsum etiam corpus ipsius exercebat, adeo acerba sint visa, vt precibus instauratis a se depellere conatus fuerit. Apparet etiam denuo, prouti in disputatione priori monuimus, quamobrem sollicitudo aliqua in animo apostoli de gratia Domini forte erga se aliquantum imminuta oriri poterit, oraculo edito ipsi detrahenda. 3) Ex ipso hoc loco etiam apparere videtur, Paulum non vulgarem cognitionem ordinum quasi angelorum malorum atque oeconomiae inferorum habuisse, quam forte iis etiam consecutus fuerat et auxerat, quae ipse experiri extraordinario modo cogebatur. Plura enim Paulum etiam in hoc genere rerum cognouisse, quam alios, satanamque subesse sensisse, vbi alii id non suspicabantur, (cf. 2 Cor. II. II. 1 Theff. III. v. 5. sqq.) ex variis locis non sine ratione videtur colligi posse. Supra nos iam monere meminimus, insignem Pauli cognitionem oeconomiae coelestis ex epistola ad Ebr. (c. XII. ) apparere: quod dixisse eo minus poenitet, quo certius est, etiam alios locos in epistolis eius occurrere, ex quibus idem conici posse videtur. Sic enim de inadspectabilibus a filio Dei creatis ad Colossenses scribens (c. I. 16.) *in ipso*, inquit, *creata sunt omnia et inadspectabilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates*, (cf. etiam Eph. I. 20. c. III. 10.) Sicuti ergo non improbabile est, Paulum, saltim ex parte, illa quoque in raptu, de quo agitur in praesenti, cognouisse; ita non minus probabile videtur, eum similiter tristibus experimentis et incur-  
sibus

sibus variis satanae, ac maxime ipso impetu angeli illius aduersarii; regnum satanae distinctius cognoscendi occasionem habuisse. Quod licet experiēti ac sententi per se acerbum esset, vtile tamen etiam in munere fungendo erat. Prodest enim seruo Christi, cum hostes eorumque vim ac artes bene cognitās habere, tum vim fidei, Christi vim induentis; illud, ne negligat et contemnat pericula, hoc, ne timeat.

## §. XXXXII.

Denique posita nostra sententia, optime quoque intelligitur, quomodo apostolus calamitatem sibi adlatam tamquam principem in infirmitatum genere numerauerit: imbecillitatem enim suam cum magna sui depressione vel maxime hac in re sentire poterat. Facultatem enim alioquin habebat, satanam in alios ad perniciem carnis immittendi, sicuti mox pluribus ostendemus: hic vero ipsum in se incurrentem carnemque adstringentem emissarium satanae perpeti cogebatur. Facultate praeterea instructus erat, malos spiritus ex iis, quos occupauerant, expellendi; (Act. XVI.) hic vero angelum hunc infestum a se depellere non valebat. Alia mala precibus vel auertere vel mitigare licebat; hoc vero, ter licet deprecans, diutius perferre cogebatur. Restant vero adhuc nonnulla, ad illustrandam hanc sententiam nostram pertinentia. Multum scilicet roboris tum illi accedet, si exempla vel plane paria, vel saltem admodum similia in sacris litteris occurrant, ex quibus constet, non plane nec incredibile nec insolens videri debere, Dominum spiritui malo eam potestatem in homines credentes ac sibi addictos concessisse, vt etiam corpus illorum inuadere illisque aegre facere potuerit. Quod quidem per se consideratum eiusmodi non est, vt iusta de eo dubitandi causa superfit: omnes enim, qui clarissimis spiritus sancti effatis impudenter repugnare, ac dicta clarissima improba interpretatione et calumniando pervertere nolunt, id lubenter et concedunt, et plura adhuc concedere coguntur, satanam scilicet animos quoque credentium per se posse inuadere, iisque inuitissimis contumeliosas etiam in Deum cogitationes iniicere. Quod si ergo hoc potest, et id etiam interdum a Deo illi conceditur;

ditur; ecurrunt iis, qui haec credunt, incredibile iure videri potest, simile aliquid respectu corporis accidere posse. Et licet libenter fateamur, rarius hoc esse atque infrequentius, idoneasque etiam illius rei causas exstare, ad investigandum non adeo difficiles; ex eo tamen non sequitur, Deum non facere interdum exceptionem, quam in Paulo quoque factam esse tanto verisimilius est, quanto certius constat, Deum in bonis conferendis praestantiam ei ingentem tribuisse; cuiusmodi praestantia bonorum calamitatibus pro modo adferendis pensari solet. Praestabat certe reuelatio haec iis, quae aliis in hoc genere eo vsque contigisse nouimus; quid ergo mirum, si praesertim etiam calamitas. Plus laborauit, plus labore suo perfecit, quam reliquorum apostolorum quisquam Paulus; quid ergo mirum, si plus etiam perperus est, et si satanas etiam ipsi infensor fuit.

## §. XXXXIII.

Forte haec quoque inter causas diuinae permissionis numeranda est, quoniam Paulus olim in statu peruerso, caeco impetu nimioque Iudaismi studio abreptus, satanae ac ministris illius operam suam cum voluptate ad adstringenda quoque corpora Christianorum praebuerat. Fieri enim sapientissimo Dei consilio haud raro solet, ut impii non solum in eodem frequenter genere puniantur, in quo peccauerunt, quo eo facilius sentiant et certum habeant, peccata sua vindicari; sed ut crux etiam piorum, quae ipsis salutaris est, ex eodem genere sit, in quo olim deliquerant, quo eo magis se submittant, ac nunquam non cum indulgentiam Dei tum iustitiam illius in toto vitae cursu pia mente venerentur. Ex Pauli sane historia rebusque cum eo actis id pluribus exemplis facile comprobari posset, sed vno in praesenti contenti erimus. Frequentissime apostolus in vincula coniectus diuque etiam in illis habitus est; ex quo fit, ut vinculorum suorum frequentissime mentionem faciat, seque nouo quodam nomine vinculum Iesu Christi appellet; quod a nullo alio apostolorum factum esse legimus. Huius vero rei causa in eo sane maxime ponenda videtur, quod ipse olim Christianos Christumque in illis in vincula ac carceres coniecerat. Aptum ergo admodum erat, cum



eum emendatum perniciosissimoque errore liberatum id ipsum propter Christum causamque eius pati, quod olim Christo, infano mentis errore, intulerat: aptum admodum erat, eum frequenti rei huius commemoratione errorem pristinum non solum identidem damnare, sed etiam id sibi ipsum honori ducere, et beneficii loco habere, quod aliis olim contumeliae causa intulerat. Quid ergo mirum, si Dominus angelo infesto in corpus Pauli ex simili quoque causa extraordinarium quid permisit, quod in alios permissum esse, non constat. Sed videamus, quid in historia sacra occurrat, quod aliquam saltem similitudinem cum eo habeat, quod Paulo accidisse statuimus.

## §. XXXXIII.

Primo itaque ex V. T. scriptis Iobi fata atque euenta vel maxime in considerationem veniunt, Pauli fati admodum similia, siue mala ipsa species, siue causas, cur Dei permisso illata sint. Nam quod primo ad mala ipsa attinet, satanae a Deo concessum esse legitur, ut in corpus illius inuaderet, illudque gravissime adligeret ac misere laceraret; quod quin non ex causis naturalibus, sibi tantum cursuique suo ordinario relinquitur, sed per vim aliquam satanae, in corpus Iobi exercitam, factum sit, iure dubitari non potest. Nec etiam Iobo ignotum plane fuisse videtur, satanam malosque spiritus hic subesse: varia enim passim in querulis lamentabilibusque plane sermonibus occurrunt, quae id dicere, imo forte etiam indicare videntur, aduersarium illum ex orco etiam interdum se illi ostendisse, trucique ac terribili adpectu eum consternasse. Considerari merentur, quas cap. XVI. (com. 9. seqq.) lugubres voces effundit et inter alia quoque conqueritur, maxillas quoque suas per summam contumeliam verberari. Atrocitate praeterea etiam et insolentia malorum animus Iobi ea sollicitudine excruciabatur, se in magna apud Deum offensa esse, cuius tamen causam, vitam suam scrutans dictaque et facta remetiens, peruestigare non poterat. Similem quoque Paulo sollicitudinem de imminuta aliquantum erga se indulgentia Dei ex insolentia hoc malo adlatam videri, in prima disputatione iam ostendimus: quae tamen benigno Domini

ni responfo mox detracta est, quoniam aucta huiusmodi sollicitudo aut diutius durans, apostoli in strenue fungendo munere alacritatem facile minuere potuisset; quam contra nihil magis adfert et auget, quam si quis exploratum habeat, se apud Deum in gratia esse, studiumque suum operamque domino, cui seruit, probari. Deinde caussae quoque, cur Deus satanae in Iobum talia permiserit, magna similitudo est: haec enim non in eo posita erat, ac si Iobus crimine aliquo se obstrinxisset, et hoc modo seuerioris castigationis occasionem praeuissset in vita ante acta; hac enim culpa, quam amici in eum conferebant, Deus ipse Iobum liberat, testimonio integritatis plenissimo ipsum persecutus. Causa potius in eo quaerenda est, vt contra elationem animi in posterum praemuniretur, ad quam facile sollicitari potuisset, nisi laetis ac prosperis aduersa quoque ac tristia saluberrimo mortalibus temperamento interuenissent; cum vir fuerit opibus, dignitate atque auctoritate magnopere florens, et insuper spiritalibus etiam indulgentiae diuinae muneribus egregie auctus. Immo videtur quoque Iobus extraordinariis reuelationibus, non secus ac Paulus, dignus habitus esse; id quod non solum ex eo colligere licet, quod finitis ipsius amicorumque disputationibus, Deus ipse se arbitrum interposuit, ex tempestate voce edita, verum etiam ex eo, quod Elihu, non quidem aetate, sed sapientia reliquis amicis praestans, differit. (c. XXXIII.) Causas enim ibi exponens, cur Deus sibi quoque addictos in varias calamitates incidere patiatur, hanc quoque non obscure nobis adferre videtur, ne scilicet homo propter reuelationes sibi factas infletur: *in somno, inquit, in visione nocturna, quando cadit sopor super homines, in somnis super cubile: tum aperire solet auri hominum, et castigatione illorum obsequat, vt remoueat homo opus, et superbiam ab homine vt obtegat: vt retrahat animam ipsius a sinea, et vitam illius, ne incidat in missile. Hinc castigatur dolore super cubile suum, et multitudo ossium ipsius robusta &c.* Ex quibus verbis id satis constare putamus, ex Elihu sententia, reuelationes et somnia diuina haud raro graues admodum castigationes consequi solere; idque eo consilio, vt superbia vel probibeatur, vel contraria

traria hac medicina statim coërceatur: Iobum enim eiusque casus atque euenta, tota hac illius oratione saltem maxime respici, sequens grauissimi morbi descriptio docet, quae optime in Iobum conuenit.

## §. XXXV.

Imprimis vero in scriptis N. T. ipsius Seruatoris illustre maximeque notabile exemplum occurrit, qui etiam hoc calamitatis genere exerceri, atque in eo ipso quoque usu atque experimentis edoceri non recusauit, quo tanto maiorem misericordiam illis tribuere possent, qui simili modo adfliguntur. Hoc ergo exemplum quam maxime intueri decet, quoniam valde ad illustranda Pauli fata atque euenta pertinet, siue occasiones calamitatis Iesu Domini, ac serui Pauli, siue naturam et rationem spectes. Quod enim ad occasiones attinet, manifestum est, satanam, Deo permittente, tum hostili animo Seruatorem aggressum esse, cum singularis apparitio coelestis ipsi contigerat. Coelum enim ipsi se aperuerat, tum vox de coelo ad laudem testimoniumque ipsius pertinens delapsa ipsique audita erat; denique spiritus sub adspetabili columbae specie in eum descenderat. His de coelo cum ostensis tum auditis, diabolus, opportunum hoc sibi tempus esse ratus, variis modis illum tentare instituit. Et cum alio tempore, breui ante mortem, rursus vox de coelo delapsa esset, gloriam, partim iam a patre tributam, partim breui tribuendam, clare confirmans, satanas pariter non cunctandum sibi ratus, tunc quoque nouum in eum impetum, qualiscunque etiam ille fuerit, fecisse legitur. Ita enim Dominus (Io. XIII. 30.) *nam uenit, inquit, princeps mundi huius, et in me non habet quidquam.* In simili casu angelus ille infectus Paulum aggressus est. Factum enim illud, postquam in coelum tertium ac paradysum raptus, vocem ad se testimoniumque rerum suarum pertinentem audiuerat, ac forte in loco illo plane illustri talia etiam viderat, quae aliis mortalibus, sub tanta nocte in hac vita adhuc iacentibus, cernere non contingit. Sicuti vero apostolus in laetis magnam cum Domino similitudinem habuit, ita mirandum non est, in tristibus quoque atque aduersis eum valde ad similitudinem illius accessisse; quod pariter ex instituta

stituta comparatione facile adparebit. Dominum de caelo testimonio ornatum spiritus malus ex orco ac tenebrarum regno aggressus legitur, et ita quidem, vt coram cum ipso ac per se ageret: apostolo in coelum rapto, ex nostra quidem sententia, idem accidit, quippe in quem pariter emissarius satanae ex orco impetum suum conuertit. Cum Domino satanas non solum sermones miscuit, orationeque animum illius, cum ad dubitationem, tum ad temeritatem et ambitionem sollicitare ausus est, sed in ipsum quoque corpus illius vim sine dubio ipsi valde ingrati atque acerbam exercuit, modo in templi pinnaculo eum constituendo, modo in altum montem eum secum abducendo; quae cum ipsi Domino sanctissimoque illius corpori acciderint, ecquid credere nos prohibet, angelum illum infectum apostoli quoque corpus aggressum esse, ac cum magno illius dolore colaphis cecidisse, sicut verba eius, propria notione retenta, omnino significant. Et sicuti porro Domino illud, quod a satana coram experiebatur, sine dubio longe acerbius fuit, quam quod postea corpori ipsius ab hominibus, satana licet instigante, illatum est; quippe a quibus pariter, non solum, quo volebant, abductum, sed etiam colaphis et verberibus male habitum esse nouimus; ita sane mirandum non est, Paulo malum illud longe grauius accidisse, quod ab angelo aduersario hoc modo perferre cogebatur, quam quod homines ad illius similitudinem inferebant. Cum ergo ex dictis illud certissime constet, et apud omnes interpretes saniores plane in confesso sit atque esse debeat, corpori Domini a satana in tentatione illa in solitudine vim esse illatam, admiratio rursus nos subit, qui fiat, vt in Paulo id concedere adeo reformident pluri mi interpretes; cum tamen naturalis verborum significatio id non solum efflagitet, sed etiam ex ipsius Domini historia adpareat, non esse, quod rem ipsam per se incredibilem et absurdam putemus.

## §. XXXXVI.

Posito hoc, noua quoque ratio apparet, cur hanc calamitatem apostolus vel maxime in infirmitatum genere numeret. Constat enim ex precibus non minus, quam ex responso Domini, Pau-

Paulum angelum hunc infestum non potuisse a se depellere, quominus amplius hoc modo infestaret, sed diutius illius incurfus ac contumelias perferre coactum esse, secus atque in ipso Domino factum legimus, qui quidem per aliquod tempus similia tolerauerat; sed cum impudentia mali spiritus atque importunitas in momenta adaugeretur, eum a se recedere iussit, quod imperium ille quoque reuereri ac recedere coactus est. Id vero apostolus facere non potuit, quamuis alioquin extraordinaria facultate instructus erat, spiritus malos ex iis quoque expellendi, quos non modo extrinsecus infestabant; sed quorum corpora etiam occupata et obsessa tenebant: cuius rei illustre exemplum Actuum XVI legimus, ubi apostolus subdolas laudes a spiritu malo sibi et adiutoribus tribuit, aequae atque ipse Dominus (Luc III. 34) aegre ferens, *impero tibi, inquit, in nomine Iesu Christi, ut ex ea exeat, et statim ea ipsa hora exiit.* Hic ergo Paulus vel vnica voce rem conficere poterat; at in angelum extrinsecus ipsum infestantem potestate, alioquin a Domino in malos spiritus concessa, uti non licebat.

Ex quo simul, sicuti ex multis aliis rebus, id quoque manifestum sit, apostolos facultate miracula efficiendi, quam a Domino acceperant, et qua primis illis temporibus, ad constituendam primo doctrinae Christianae auctoritatem, omnino opus erat, suo simpliciter arbitratu uti non potuisse, sed expectandum ipsis et quasi explorandum fuisse, utrum Dominus illius rei copiam facere vellet, nec ne. Id quod etiam eam ob causam necessarium et salutare fuit, ut re tanta ne efferrentur, sed ipsa illa facultatis huius vsusque illius circumscriptione admonerentur, non suam illam esse, sed Domini.

## §. XXXXVII.

Accedit iis, quae diximus, aliud adhuc alibi iam a nobis datum; dignum vero, ut amplius hoc loco illustretur. Poterat videlicet apostolus certis temporibus, ac singulari Domini impulsu improbos ac refractarios, qui tamen Christi nomen prae se ferebant aut tulerant, satanae tradere, eo quidem consilio, ut carnem illorum adfligeret, quo spiritus tandem seruaretur; quam potestatem apostolis praecipue datam merito credimus, cum ab

R

aliis

aliis vsurpatam nunquam legamus. Duo vero illius rei exempla in Pauli epistolis occurrunt: primum in priori ad Corinthios (c. V. 3. sqq.) vbi apostolus de incesto pertinaci adhuc nondumque resipiscente: *nam ego quidem, inquit, vt absens corpore, praesens vero spiritu iam deceui, tamquam praesens, cum, qui ira hoc fecit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis ac meo spiritu, cum potentia Domini nostri Iesu Christi tradere talem satanae in perniciem carnis, vt spiritus seruetur in die Domini Iesu.* Alterum huic simile in priori ad Timotheum legimus (c. I. 20.) vbi apostolus: *inter quos (qui naufragium fidei per summam perfidiam fecerant), inquit, est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi satanae, vt castigentur, quo minus impuro ore laceessant.* Simplicissima sane horum effatorum sententia est, traditos hos homines esse satanae, vt corpora illorum grauitur adfigeret; id quod sine dubio etiam fecit, licet longe alio consilio, quam quo Paulus illos tradiderat. Equidem nos non fugit, esse viros longe doctissimos, qui aliter hac de re sentiant, sibi que persuasum habeant, traditionem hanc in satanae potestatem nihil aliud esse, quam ipsam excommunicationem ecclesiasticam, quoniam seiunctus hoc modo a societate ecclesiae, singulari ratione imperio satanae subiectus sit. Quod vt eo melius persuadeant, in auxilium simul vocare solent formulas excommunicationis apud Iudaeos vsitatae, in quibus excommunicatus pariter satanae traditus dicatur. Defendit praeter alios bene multos hanc sententiam HERMANNVS WITSIVS (Meletem. Leidenf. Sect. VIII. §. XXVIII, XXX. p. 92. seqq.) Postquam enim (§. XXVIII.) contrariam sententiam breuiter exposuerat, laudatis simul illius auctoribus, suam deinde (§. XXX.) explicat, argumentisque ita confirmare nititur, vt simul fundamenta contrariae conuellere conetur. Sed nec illius, nec aliorum disputationes ita comparatas deprehendimus, vt a propria verborum potestate recedendum arbitremur; imprimis, cum ipse tandem WITSIVS, vi veritatis sine dubio coactus, fateri cogatur, verba apostoli quoque ad malum aliquod corpori illatum pertinere. *De Christianis, inquit, non est mihi dubium, quin in apostolica ecclesia excommunicationem diu*

*saepe*

saepe effectus in ipso etiam corpore consecuti sint, et quod viri doctissimi per traditionem satanae unice intelligendum pugnant, id ego excommunicationis seuerissimae sequelam aliquando fuisse pro certo habeo; praesertim, si praeside apostolorum aliquo dira in criminiosum sententia fulminata esset. Nimirum ne fulmina, a fidelibus suis seruis vibrata, bruta esse censerentur, placuit Domino, tremendam eorum efficaciam evidentissimis quandoque iudiciis palam facere, et facinorosorum corpora vexationibus et excruciationibus satanae in omnium conspectu exponere. Sed si dicendum quod res est, haec a nostra sententia non multum, saltem non in eo discrepant, quod caput rei est, vt non tam rerum, quam verborum, controuersia remaneat. Concedere enim cogitur Vir Doctus haud obscure, verba apostoli ita esse comparata, vt omnino malum aliquod corporis a satana illatum significent, quod profecto nemo negare potest, qui anum praecceptis opinionibus liberum habet. Quae cum ita sint, tota disputatio tandem eo redit, vtrum conuenientius sit, statuere, mala illa corporis consequens modo excommunicationis interdum fuisse, quod tamen apostolus in his verbis pronuntians sibi non proposuerit, nec de illis inferendis cogitauerit: an praestet credere; apostolum hac voce edenda id, quod sane verba sine dubio proxime significant, etiam maxime voluisse, vt satanas, cui improbi illi scienter se ac libenter mancipauerant abutendosque permiserant, illorum ingratiis, iusto tamen Dei iudicio, in corpora quoque extraordinariam nocendi potestatem nancisceretur; experimentumque caperetur, an homines pene desperati duro hoc et quasi vltimo remedio ad sanitatem reuocari possent? quae duae sententiae, si inter se configant, nos sane posteriori palmam dare non dubitamus. Ad verborum enim naturalem et propriam significationem in ea propius acceditur, ac res ipsa quoque, a moribus et temporibus apostolicis non abhorret. Satis enim constat ex aliis exemplis, apostolos interdum extraordinariam censuram in homines vel fraudulentos vel rebelles exercuisse. Vt taceamus tristia illius rei documenta in Anania et Sapphira edita, in quibus effraenata mentiendi ac fallendi libido extraordinario supplicio vindicata est; in ipsa Pauli

historia praestigiator Elymas occurrit, quem apostolus, euangelio pertinaciter repugnantem, ac Sergium Paulum a fide reuocantem, diuino adflatu concitatus grauiter increpat: *O plene, inquit, dolis et omnis nequitiae, fili diaboli, hostis omnis iustitiae, non quiescis peruertens vias Domini rectas, et nunc vide, manus Domini super te, et eris caecus; ne videas solem ad certum tempus.* Statim vero cecidit super ipsum caecitas et tenebrae, et circumiens quaerebat duces. (Act. XVI. 10. &c.) Talia cum in apri- co sint, quid vetat credere, verba apostoli in iis, de quibus sermo est, locis, id quoque sibi velle, quod proxima ac naturalis illorum notio omnino postulat, vt nimirum malum aliquod corporis significetur, ad quod inferendum Dominus satanae ministerio et opera eo modo vti voluerit, sicuti Deus opera Iudaeorum et Ethnicorum in Christo morti tradendo vsus legitur ad consilia sua exsequenda, ipsis licet insciis nihilque minus, aut cogitantibus aut volentibus. Qua ratione agendi Deus etiam alias frequentissime vsus est atque adhuc vtitur, vt hominum male cogitata atque suscepta ipsorum ingratis ad certa bona efficienda conuertat; qua in re insignia et sapientiae et bonitatis, erga suos maxime, specimina edit. Quod cum tenere decet, sacris quippe litteris satis testatum, tum tamen etiam illud sollicitè cauendum est; ne aut ad male faciendum accedamus, vt inde eueniant bona, aut perperam nobis persuadeamus, mala illa ab hominibus profecta quasi necessaria fuisse, ne bonum, cuius occasionem attulerunt, impediretur. Ecquis enim iure dabitare possit, Deum bona illa etiam aliis modis consequi potuisse, si homines malis illis abstinuissent.

§. XXXXVIII.

Sed nimis longe fere a proposito recessimus, ad quod merito iam reuertimur. Si scilicet apostolus potestatem hanc habuit, tradendi interdum corpora nocentium satanae, ad carnis perniciem, vt loquitur; acerbum sane ipsi esse debuit, quod angeli infecti contumelias, corpus colaphis caedentis, ipse perferre coactus est, nec a se depellere potuit. Sicuti ergo calamitas ipsa sua natura ad deprimendum valebat, ita non minus id quoque eo perti-



pertrahit, quod imbecillitatem suam in eo simul sensit, quod malum illud a se depellere non potuit. Interim plane incredibile non est, bonos forte angelos apostolo, ab angelo malo infestato, praesto fuisse, saltem interdum, illiusque impetum aut repressisse aut temperasse. Non solum enim generatim constat, angelos electos mitti a Deo ad ministerium in gratiam illorum, qui salutis haereditatem cernere debent; sed exemplis etiam confirmatur, illos ad tuendos iuandosque fideles tum maxime adesse, cum mali spiritus in illis vexandis et infestandis maxime occupati sunt. Vt taceamus narrata in libro Danielis (c. X.) occurrentia valde notabilia, in promptu inprimis sunt ipsius Domini euenta: ad quem, variis modis corpore quoque a diabolo vexatum, angeli accessisse illique ministrasse leguntur. Memoratu quoque digna est visio Zachariae obiecta (c. III.) vbi narratur satanas dexteræ Iosuae pontificis maximi adstitisse, illique aduersatus esse; tum vero Iosuae auxilium angelorum bonorum ita promittitur: *Si in viis meis incedes, et si custodiam meam custodies, tum etiam tu iudicabis domum meam, et custodies atria mea, et dabo tibi comites inter adstantes hosce.* Plane enim non est, quod dubitemus, nomine adstantium angelos bonos signari, qui in huiusmodi visionibus, in quibus Deus se in maiestate sua vatibus ostendit, tantum non semper adstitisse, et illi apparuisse leguntur. (cf. 1 Reg. XXII. 19. Ies. VI. 2. Dan. VII. 10. Apoc. VII.)

## §. XXXXVIII.

Denique illud adhuc dictis addimus, Paulum etiam alibi infirmitatis ad carnem siue ad corpus pertinentis mentionem facere, et quidem ita, vt haud obscure adpareat, mala plane singularia fuisse, quibus adfigebatur. Succurrit inprimis locus notabilis in epistola ad Galatas (c. III. 13. 14.) vbi: *nostris bene, inquit, quod propter infirmitatem carnis euangelium vobis nunciaui prius, et tentationem meam, quae erat in carne mea, non contempsistis, nec respuistis; verum tanquam angelum Dei suscepistis me, tanquam Iesum Christum.* Meminit hic primo apostolus infirmitatis carnis, quae sane nihil aliud significare potest, quam mala, quae aposto-

lus corpore proxime sentiebat ac perferebat, et propter quam se euangelium eis nunciasse dicit. Quorum verborum sententia haec esse videtur, Galatas nosse, se propter mala, quae pertulerit in carne, eo acriorem fuisse in nunciando euangelio; pertinuisse enim illud eo, ut tanto melius ac luculentius cognoscere potuerint, vim ipsius Dei esse, quae cum euangelio coniuncta sit, licet ab homine infirmo ac valde adfecto nunciatur. Paulus ergo malis illis non debilitari se passus fuerat, quo minus impigre ad exsequenda officii munera accederet, quoniam a Domino didicerat, virtutem in infirmitate perfici. Infirmitas ergo illa, illiusque sensus ipsi satis acerbus aliisque etiam conspicuus, et ipsi apostolo, et aliis proderat; ipsi, quoniam eo deprimebatur, quo minus se apostolica vi efferret, sibi quae aliquid tribueret: aliis vero, quoniam id ipsum veritatem euangelii nuntiati eiusque diuinam vim confirmare, hominibusque perluadere poterat. Pergit apostolus, sincerum Galatarum iudicium laudare: *et tentationem meam secundum carnem*, inquit, *non contempsistis nec respicistis*, i. e. me propter tentationem illam secundum carnem meam non contempsistis nec repudiastis. Ex quibus verbis varia confici posse videntur. Primo enim Paulus singularis alicuius tentationis mentionem facit, quam rursus sollicito ad carnem suam refert; ergo carnem, seu corpus, proxime illa adfectum fuisse oportet: deinde id quoque ex his verbis adparet, tentationem illam talem fuisse, ut vel ipsa, vel vestigia illius sub adspicuum aliorum caderent: tertio, ita quoque comparatam fuisse oportet, ut apostolum apud homines leues facile in contemptum adducere potuisset; alioquin enim contrarium illius rei non tantopere in Galatis laudaretur. Quae si considerentur, omnium optime conueniunt in colaphos angeli infesti, quos apostolus per longum tempus pertulisse videtur, quamquam negare ideo nolumus, ad aliorum malorum genera simul respici.

§. L.

Sed sufficiant haec dicta; si modo adhuc monuerimus, nostram, quam adhuc explicauimus, sententiam auctoritatibus quoque grauissimorum interpretum se tueri posse. Etenim ut alios

alios iam taceamus nominare, in primis placet IOHANNEM MAR-  
 CIVM, qui eam in exercitationibus biblicis ad selecta loca P.  
 II. exercit. XXXXVII. p. 894. erudite defendit. Ex quo ea,  
 quae 895. seqq. leguntur, excerpemus, quoniam totam sententiam  
 nostram breui et neruoso compendio exhibent. Ita vero ille:  
 Naturalis rei narratae series et summa haec est: mihi Paulo stimulus,  
 qui pungeret et adstingeret, et superari ex voto non posset, datus est, ab  
 eo fere reuelationum ante plures annos concessarum tempore, seu addi-  
 tus et inditus, diuina Domini non tantum permissioe, sed et ordi-  
 natione saluari, ideoque benigna: et quidem carni meae naturali,  
 seu corpori carneo. Hoc autem, ne intelligeretur ad litteram, quan-  
 do  $\sigma\kappa\lambda\omicron\psi$  extrahi et abiici haud difficulter potuisset, sed vt constaret,  
 proverbialiter capiendum de dolorifico admodum et adhaerenti malo,  
 subiicit exegetice Paulus, angelus satan, vt me colaphizet. Debet  
 manere certum, quod angeli nomen hic, ex longe receptissimo usu, non  
 hominem quemuis nuncium, aut legatum Dei, vel hominum haeresei  
 aut persecutione nocentium, sed spiritum dicat incorporeum, qui Dei  
 imperio subsit, quodque per adiectum nomen ebraicum, satan, aduersa-  
 rium notans, spiritibusque malis prae hominibus competens ac tribu-  
 tum in V. pariter ac N. T., ad angelum malum prius commune nomen  
 hic determinetur. Ille vero angelus satan cum in varium finem posset  
 aut potuisset Paulo addi, finis, iuxta Dei ordinationem effectus, hic  
 fuit, Pauli scribentis haec non coniciatio, sed colaphizatio, seu per-  
 cussio corporalis, non interna, sed externa, non quidem lethalis, sed  
 tamen grauis et molesta non minus, quam probrosa fortasse etiam, si-  
 gna quaedam visibilia atque etiam notabilem infirmitatem post se relin-  
 quens, qualis solet fieri humano potissimum pugno vel contracta ma-  
 nu, seu in aliam corporis partem, seu in caput praecipue, seu etiam  
 in anteriorem eius partem seu faciem. Quam colaphizationem cum  
 exprimit apostolus in tempore praesenti, ex virorum doctorum anti-  
 qua obseruatione significatur non modo ipse actus, sed et ejus duratio  
 adhuc praesens ad vices quasdam incertas potius, quam certas: quam  
 durationem omnino comprobatur sequens contextus, dum Paulus fert,  
 se super hoc angelo rogasse Dominum, vt ab ipso discederet, nec semel,  
 sed ter; sed sicut ad primam et secundam rogationem siluerat Dominus,

ita

ita ad tertiam respondisse Dominum haud prorsus ex voto, istam satanae desideratam discessionem non quidem fore concedendam, sed fauorem Domini ipsi affore semper cum sufficientia Saluari, qualis etiam Pauli sub optimam Domini ordinationem subiecto deinde consecuta est. Quis tandem fuerit et sit non angeli satan, sed Domini scopus in hac re tota, noluit nos ignorare apostolus, id exprimens factum, ne per coelestium revelationum excellentiam prorsus singularem ipse carnis adhaerentis et inhabitantis vitio indecenter extolleretur vel a se, vel etiam, si ita placet, ab aliis eam excellentiam audientibus, consequenter, qui et adhaerentem grauem oppositam simul audirent, ad quem finem composita adeo et apta fuerit haec colapbizatio necessum est. Non male igitur dixit Hieronymus ad Paulum de obitu filiae Blefillae; ad reuelationis humiliandam superbiam monitor quidam humanae imbecillitatis opponitur, in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhaerebat, per singulas civium adclamations dicens hominem te esse memento: haecenus ille. Quam sententiam deinceps amplius confirmaturus ostendit haesitationes interpretum dissentientium tanti momenti non esse, vt nos de ea deducant.

## §. LI.

Sed finem iam facere animus est, si modo vnum adhuc ex animi nostri sententia monuerimus. Nollemus scilicet, lectores nostros ea, quae scripsimus hac de re, ad curiositatem modo explendam legere. Sicuti enim plane exploratum habemus, non eam ob causam haec ab apostolo spiritus S. adhaerentem scripta esse; ita nos quoque de his eandem ob causam scribere animum non induximus. Veram verborum Pauli sententiam inuestigare atque ante oculos ponere conati sumus, quod omnino ad officium interpretis pertinet; sed non minus etiam et ad illius et ad lectorum officium pertinet, vt omnia, quae cognouerunt, etiam ad verum animae usum transferant, alioqui melius fuisset, non cognouissent. Qui ergo non rite vtuntur iis, quae cognouerunt, nihil aliud agunt, quam vt seruos agant, qui voluntatem quidem Domini norunt, sed illi non parent, ac proinde duplici se poena dignos reddunt. Cogitare ergo et nos ipsos et lectores nostros oportet, haec non minus, quam reliqua in sacris litteris omnia, eo con-

filio

filio scripta esse, vt nos aliquid doceant, et vt per patientiam et consolationem scriptorum spem habeamus. Quod si ita est, hanc Pauli orationem etiam non totum aliquid in se continere oportet, quod nos sapientes potest efficere ad salutem, quae contingit per fidem in Iesum Christum, quodque vtile est ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem atque ad eruditionem in iustitia; sed ita quoque eam a nobis tractari, legi et expendi decet, vt omnes illas ac varias vtilitates percipiamus. Ergo in omni tractatione et interpretatione S. litterarum id ante oculos proponere oportet, vt quaecumque cognouimus, statim etiam ad vsum transferamus; qui enim id negligit, vt prohi dolor ad negligendum procliuus sumus, in oraculorum Dei tractatione peruerse versatur atque improbe, dum spiritum quasi a corpore, et nucleum a cortice diuellit, ex quo pessimo discidio mala innumerabilia oriuntur. Haec ergo praefati, bona cum pace lectorum, quos ea in re contentientes habemus, breuiter adhuc non nulla ex iis subiiciemus, quae cogitantibus nobis occurrunt, quaeque ex dictis apostoli colligi, disci, animisque altissime et quasi trabali clauo adfigi, ac quo tandem omnia, quae hac de re scripsimus, referri debeant, nisi tandem frustra et scripsisse et legisse voluerimus; quod nos sane nollemus, ac proinde lectores etiam nostros, vt pariter nohnt, rogamus.

Si Paulus documenta singularia singularis erga se indulgentiae diuinae accurate notauit, vnacum tempore quo data sunt, vt omnia eo facilius in promptu haberet; nostri quoque officii esse putemus, ad eadem in vitae nostrae cursu diligenter attendere. Cum enim obliuio beneficiorum ab hominibus praestitorum turpis est, tum sane obliuio a Deo profectorum longe turpior euadit. Si ergo mundus illa tempora notat, quae aut claudibus aut malis generi hominum illatis insignia sunt, aut euentis laetis, et ad vitae huius commoda exoptatis; nos quidem haec non negligamus, sed Deum eiusque iustitiam non minus ac bonitatem erga mortales in iis etiam spectemus; at tamen ne in iis consistamus, sed cogitemus, quae ad gratiae regnum atque ad non adspedabilia pertinent, non minorem, verum maiorem attentione.

S

tentio.

tionem mereri. Ad haec erga cum in se ipſo, tum in aliis, maxime attendere oportet, qui ſapere aut reſpiciere aut vera ſapientia augeti vult: quod ſane tantum non omnes cupere videri, ſed pauci reuera fieri atque agere volunt.

Si ciuitas Dei inadſpectabilis, quam Paulus coelum tertium et paradifum appellat, tam plena gloriae ac felicitatis eſt, vt quidquid etiam fidelibus in terra et regno gratiae fere contingat, iis tamen comparari nequeat, quae olim in regnum gloriae ingreſſi videbunt, audient, aliisque modis experientur; quid magis neceſſarium eſt, commendatumque nobis eſſe debet; quam vt, dum peregrinamur, et in hac vita, tamquam in diuerſorio commoramur, id agamus, vt ciuitatem illam coeleſtem, omniaque eius iura conſequamur. Quod ſi agere animus eſt; cogitemus, quos ſpiritus Dei, in ſcriptis ſacris loquens, diſerte in aeternum quaſi exilium eiiciat, atque ex patria illa excluſos pronunciet, ne vana ſpe deludamur, laetum ex hac vita ac beatum exitum exſpectantes, cum tamen triftis immineat. Clara vero ſunt teſtimonia ſpiritus Dei, qui ſane in tanta re, et ad ſalutem mortalium pertinente, non aenigmata loquitur, vt oedipo ad illa ſoluenda opus ſit. Formulas habemus claras, ac proinde nihil ſupereſt, quam vt nos ad illas reuocemus, ſtudiaque vitae noſtrae regula vocis Dei metiamur, vt appareat, quid nobis de nobis ipſis ſtatique futuro ex praefenti ſtatuendum ſit. Audiamus; quid nobis Deus per Spiritum patefecerit; digna ſane, vt, qui aures habet ad audiendum, audiat: *non noſtis*, inquit Paulus, *iniuſtos haereditatem regni Dei non adituros. Ne decipiamini: neque ſupratores, neque idololatrae, neque adulteri, neque molles, neque marium concubitores, neque fures, neque auari, neque vinolenti, neque calumniatores, neque rapaces, haereditatem regni Dei cernent.* (1 Cor. VI, 9. 10.) Et alibi: *aperta vero, inquit, ſunt opera carnis: qualia ſunt adulterium, ſuprum, impuri- tas, laſciuia, idololatria, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulaciones, excauſcentiae, rixae, diſſidia, haereſes, inuidiae, homicidia, vinolentia, comeſſationes, et ſimilia his; de quibus praedico vobis, quemadmodum praedixi etiam, talia facientes haereditatem regni Dei non adituros* (Galat. V, 19. cet.) In apocalypſi praec-


praeterca, vltimo f. codicis libro, non minus clare Spiritus loquitur: *timidis vero, inueniens, et infidelibus, iis, qui facti sunt abominabiles, et homicidis, et stupratoribus, et idololatriis, et omnibus mendacibus, portio illorum erit in stagno ardente igni et sulfure, quae est mors altera (c. XXI, 8.).* Et post plura interiecta: *et non ingredietur in illam (nouam urbem Dei) omne inquinans se et perpetrans abominationem et mendacium.* Ac denique ita ait: *foris vero canes et venefici et stupratores et homicidae et idololatrae, et omnis amans et faciens mendacium.* Si ergo hi omnes in omnem aeternitatem exulabunt; quantus stupor, quanta vecordia multorum mortalium est, qui haec aliaque scelera secure in se admittentes; nihilominus contra eam clara Spiritus suae oracula in optima spe sunt, se in coelum peruenturos, in locum, vbi non nisi sanctis est locus, quique non amplius colluuiem illam fert, quae in his terris est, atque a Deo eam ob causam toleratur, quoniam non vult, quemquam perire, sed omnes ad frugem redire. Discamus ergo etiam, quid illos oporteat agere, qui veteram ac viuam spem vitae post hanc vitam beatae concipere gestiunt. Discamus vero ita, vt agamus, ne, si ad finem est ventum, inter agenda id sit, sed inter acta: finis enim erit secundum acta, non secundum agenda. Stultum ergo est, per omnem vitam male et alius agere, et tamen bonum exitum expectare. Soli ergo vere credentes ingredientur in illam quietem, quae populo Dei in ciuitate illa coelesti parata est; ita enim Paulus (ad Ebr. c. III, 3. II.): *Nos, qui credimus, inquit, ingredimur in quietem.* Operam ergo demus ingrediendi in hanc quietem, ne quis cadat exemplo infidelitatis. Nec sufficit, verbo Dei fidem habere, sed oportet etiam constanter seruare, ne rursus spe illa excidamus: qui enim perseuerat vsque ad finem, seruatur. Qui porro ingredi cupit in patriam illam coelestem, rotam sibi vitam ideo a Deo tributam censeat, vt magis magisque exuat, ac deponat veterem hominem, et induat nouum, qui ad similitudinem Dei creatur. Vanum enim et insanum est, sine seruo ac perpetuo sanctitatis studio cum Deo sanctissimo communionem habere velle. Ita enim ipse Iesus, Dominus de caelo: *beati sunt, inquit, puri corde,*

de, illi enim Deum cernent. Et Paulus (2 Corinth. VII, 1.) tales itaque, inquit, promissiones habentes, ab omnibus carnis et spiritus sordibus nos purgemus, et pergamus in sanctificatione in timore Dei. Et alibi (Ebr. XII, 14.) consecramini, inquit, pacem et sanctificationem, sine qua nemo videbit Dominum. Nec aliter Iohannes eadem de re differens: sumus nunc, inquit, filii Dei, et nondum apparuit, quid futuri simus: novimus vero, quando appariturus est, nos ipsi similes futuros, videbimus enim eum, sicuti est: et quisquis is sit, qui hanc spem habet, purificat se, sicuti ipse purus est. Non ergo sit similis Deo et Christo in gloria, nisi qui hic animo similis effectus est. Qui porro futura illa gaudia aliquando percipere gestit, mentem suam animumque iam in coelo collocet, et discat mori sibi et omnibus caducis, quo soli Deo vivat, omniaque ad illum referat: id est, seuoctet animum a rebus pereuntibus, ne pravo, illarum amore constrictus ipse pereat: animus enim amore mundi repletus, Deum amare non potest. Hinc Iohannes: ne amatis, inquit, mundum, nec id quod in mundo est, si quis enim mundum adhuc amat, in illo non est amor patris. Omne quidem a Deo creatum, bonum est, attamen non mundum, nisi mundis, quorum animi fide a pravo amore et cupiditate seculi huius liberati sunt. Utendum ergo his rebus, quoad necesse est, non fruendum. Hinc Paulus (1 Cor. VII, 29. seq.) hoc vero, inquit, aio fratres, tempus brevis ceterum est, ut et habentes uxores, tamquam non habentes sint; et sentes, tamquam non sentes; et gaudentes, tamquam non gaudentes; et ementes, tamquam non possidentes; et vtenes mundo hoc, tamquam non abutentes, transit enim schema mundi huius. Cogitemus etiam, quod idem apostolus ad Colossenses scribit: (c. III, 1. seqq.) si ergo cum Christo resurrexistis; quaerite, quod supra est, ubi Christus est, sedens ad dextram Dei. Studete illis, quae supra sunt, non terrestribus: mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; quando vero Christus, vita vestra, se aperiet; tum etiam vos aperiemini cum illo in gloria. Denique illud etiam certum exploratumque plane habeamus, aditum in locum illum patere nemini, nisi qui etiam in societatem calamitatum Christi venit, et quem non puduit Christi. Qui enim se  
Chri.



Christo patienti subducit, coelo se subducit. Ita enim Spiritus Dei per Paulum: *si itaque, inquit, liberi sumus, haeredes etiam sumus, et cohaeredes Christi, si modo vna toleremus, vt etiam vna ad gloriam euehamur.* Et alibi; (2 Tim. II, II.) *hoc plane certum est, si morimur vna, vna etiam viuemus; si toleramus vna, vna regnabimus; si abnegamus, ille etiam abnegabit.*

Si Deus graui admodum cruciatu animi elationem in Paulo cauere voluit, discamus inde, quam inuisa Deo, quam pestilens homini omnis superbia sit. Id quod Paulo contigerat, res maxima erat, nec tamen ea animum efferri decebat; quam miseri ergo sunt, qui rebus longe minoribus et plane non comparandis se instant sibi que ipsi plaudunt. Cogitemus ergo, submissionem animi veram inter virtutes coelestes esse. Si denique Paulo tanta calamitas adlata est, ne efferretur; credibile admodum est, haud paucas calamitates eodem Domini consilio fidelibus adferri, vt elatio animi prohibeatur, et comprimitur.



## APPENDIX

**C**um priorem disputationem scriberemus atque ad exponendam refutandamque Reu. OEDERI sententiam delati essemus; mentionem fecimus litis a Viris doctis ipsi iam ante nos ea de re motae simulque etiam ex Reu. OEDERI narratione indicauius, filium ipsius, GEORGIVM WILHELMVM OEDERVm, defensionem sententiae paternae in se suscepisse, nos vero scripta ad hanc controuersiam pertinentia nancisci nondum potuisse. (cf. S. X. p. 9. 10.) Quoniam vero postea Vir quidam Doctissimus fauorque et amicus admodum suspiciendus cum scripta sententiae Oederianae contraria, tum defensionem illius a filio compositam beneuole atque vltro nobiscum communicauit, operae pretium visum est, breuiter hac de re et quidem ita agere; vt primo historiam controuersiae paucis exponamus, deinde vero de ipsa re dicamus. Quod itaque ad prius attinet, primus, qui, quantum nobis constat, publice contra sententiam Oederianam aliquid

quid monuit, fuit Vir Clarissimus ac Doctissimus CHRISTIANVS  
 LVDOVICVS SCHLICHTERVS; hic enim relationibus Halen-  
 sibus A. 1737. N. XXXXI, inseruit *den schriftmässigen Beweis, daß  
 Paulus und kein anderer bis in den dritten Himmel entzückt worden.*  
 Refellit vero Vir Doctissimus OEDERI sententiam maxime ex  
 coherencia orationis apostolicae cum antecedentibus ac conse-  
 quentibus, ita tamen, vt pro instituti ratione cuncta breuiter ex-  
 plicet. Postea fusius idem argumentum in academia Lipsiensi sibi  
 tractandum sumsit CL. IOHANNES BOSIUS in disputatione  
 habita Lipsiae d. XVII Februarii A. 1738. atque ita  
 inscripta: *Paulus in tertium coelum raptus a sententia Viri Clarissimi  
 Georgii Oederi vindicatur*, in qua doctissimus auctor cum sen-  
 tentiam consuetam defendit, tum etiam argumenta OEDERI  
 contraria diluit. His itaque editis GEORGIUS WILHELMVS  
 OEDERVS, patris causam acturus, Gottingae praeside Celeberrimo  
 IO. MATTHIA GESNERO d. XVI Martii A. 1738. disputationem publice  
 proposuit, ita inscriptam: *de raptu non Pauli in tertium coelum et de ανωτον τη σταση.* Praeposuit huic dis-  
 putationi Cl. GESNERVS epistolam elegantissimam ad OEDERVM  
 patrem scriptam, in qua extrema de sententia Oederiana iudi-  
 cium suum interpositurus, sibi liquere negat. Vtrum postea in-  
 ter Viros Doctissimos hac de re publicis scriptis disputatum sit,  
 nec ne, nobis quidem non constat. Historia ergo litis breuiter  
 exposita, iam superest, vt de re ipsa, quae etiam ad nos pertinet,  
 paucis agamus. Perfecta itaque attente disputatione Oederiana,  
 acriter satis in doctissimos aduersarios scripta, nihil in illa  
 inuenimus ita comparatum, quod nos de communi interpretum  
 sententia, a nobis quoque in priore disputatione probata ac  
 defensa, deduceret. Quod ne sine causa dicere videamur, cum  
 pace lectorum sequentia breuiter obseruare placet.

Primo itaque lectoribus, nostram disputationem cum scriptis  
 Virorum Doctissimorum SCHLICHTERI et BOSII conferentibus  
 facile, vt opinamur, adparebit, haud pauca contra sententiam  
 Oederianam a nobis in medium esse prolata, quae ab illis  
 plane non sunt tacta; ad quae proinde doctissimus OEDERVS si-  
 tus

lius nec respondit, nec respondere potuit. Occurrunt vero etiam alia, quae quidem Viri Clarissimi supra laudati iam ante nos rectissime monuerunt ac proinde nobiscum, quod ad caput rei attinet, communia habent; interim tamen facile animaduer- tent lectores, scripta nostra comparantes, etiam in his varia a nobis esse dicta, quae apud illos frustra quaesuerint, et quae tamen in tota re disceptanda non plane nullius momenti, sed ita comparata sunt, vt per ea iam in antecessum id refutatum sit, quod ad defensionem sententiae Oederianae dici potuisset atque ab OEDERO filio dictum est.

Deinde consultum putamus Oederianam disputationem bre- uiter percurrere, et ad potiora aliquid monere, quatenus scili- cet nos attingunt nostraeque interpretationi fraudi esse posse vi- dentur.

I) Itaque id maxime vrget doctissimus OEDERVS (pag. 6. coll. pag. 27. sqq.) nos, qui contrariam ipsi sententiam defen- dimus, coniunctionem  $\gamma\alpha\gamma$  commate I. positam commode inter- pretari non posse, sed vsitatam illius potestatem relinquere co- gi. Verum omnino est, coniunctionem hanc causalem exer- cuisse multos interpretes, quippe quae in communi sententia non satis apta esse videtur, si illi vsitata notio subiiciatur. Vrsit id iam Reuer. OEDERVS pater, putauitque sententiam apostoli non bene cohaerere, si vulgarem sententiam sequamur vsitatamque, vt par est, particulae  $\gamma\alpha\gamma$  notionem retineamus. Licet vero haec non sine specie contra illos moneantur, qui a consueta con- iunctionis  $\gamma\alpha\gamma$  significatione recedunt, nihil tamen contra nos va- lent, qui id nec fecimus, nec faciendum esse censemus, simul- que tamen ostendimus, quam bene communi sententiae retenta to- ta apostoli oratio cohaereat. cf. §. XVI. XVII. p. 20 sqq.

II.) Quae si obseruentur, facile quoque adparet, nullius pla- ne esse momenti, nostram saltem interpretationem non conuelle- re, quae doctissimus OEDERVS contra aduersarios suos, cohaeren- tiam totius sermonis apostolici finemque propositum pro se alle- gantes, fuisse disputat (p. 13. sqq.) I enim monet, non esse, quod  
in

in scriptis Paulinis cohaerentiam nimis vrgeamus; videri enim Paulum in scribendis epistolis per pauca eorum, quae scripserit, praemeditatum esse (absesse vult a voce inuidiam,) sed saepe rei vel verbi adeo mentione facta ad alia deuenisse; id quod deinde ad hanc quoque illius orationem accommodare laborat, ideoque contendit commata 1-5. separatim quid a reliqua oratione ac non cohaerens continere, et commate demum 6. apostolum ad ea, quibus ipse gloriari possit, quorum enumerationem abruperit, reuerti. Licet igitur facile concedamus, Paulo in scriptis non insolens esse, vt interdum opportuna digressionem ab instituto recedat, ac deinde ad illud reuertatur; illud tamen factum esse, prius statui non debet, quam certa ac firma illius rei indicia adsint, quae nos quidem in hoc Pauli sermone non deprehendimus. Comma enim 6 cum superioribus arte cohaerere ac proinde ad vnā eandemque rem pertinere vel ex coniunctione causali *γυν* apparet, cuius interpretatio, si vsitatam illius notionem retineamus, Oederianam interpretationem impeditam reddit, prouti in priori disputatione (p. 20.) iam ostendimus. 2) Quae doctissimus Oederus (§. VIII. VIII.) aduersariis suis opponit, nos pariter non attingunt. Nos enim cohaerentiam aliam fecimus, quam ipsi, et quidem talem, vt omnia plana sint (cf. disp. 1. p. 18. sqq.) Gloria enim fuerat Paulus c. XI. non solum aduersis Christi causa toleratis, sed etiam bonis in se collatis plane insignibus; his ergo imprimis gloriari sibi vtile aut gratum esse negat, idque ex eo probat, quoniam propter excellentiam bonorum in se collatorum grauioribus etiam calamitatibus adficiatur; id quod subiecto exemplo de raptu extraordinario probat.

III). Vna cum patre contendit doctissimus OEDERUS (§. X. XI. p. 18. sqq.) omnes eos operam ludere, qui ab iactantiae opprobrio liberare Paulum conentur et iidem tamen in opinione recepta perseverent. Verum quam vanus sit hic metus, ex iis, quae in disputatione I (p. 18. sqq.) diximus, satis adparere putamus; ad quae diluenda, quae Oederus non sine stomacho disputat, plane nihil faciunt.

III.) V-

III.) Vtget Cl. OEDERVS (S. XII. p. 21.) Paulum tamen se ipsum manifeste ab illo distinguere, quem viderit in coelum rapti, verbis (comm. 5.) *pro tali gloriabor, pro me vero ipso non gloriabor, nisi infirmitatibus meis.* Nos vero concedimus quidem oppositionem aliquam, quae sufficit verbis et quam (p. 42. sqq.) ita interpretati sumus, vt OEDERI dictis non conuellantur nostra. In praesenti hoc tantum adhuc adiungimus, difficile etiam esse in sententia Oederiana ad intelligendum, quid causae habuerit apostolus, aut quam utilitatem ex eo expectauerit, si de alio gloriaretur, quem viderit in tertium coelum raptum: ad depressionem enim ipsius, vt OEDERVS pater contendit, illud commode facere non potuisse, in disputatione I. (p. II. 12.) satis nos ostendisse credimus.

V.) OEDERVS (p. 25. sqq.) id maxime agit, vt ostendat, quam dissimilia sint exempla a doctissimis aduersariis eo consilio prolata, vt probent, nec in sacris nec in profanis litteris plane inusitatum esse, vt quis interdum tanquam de alio a se distincto loquatur, et tamen se ipsum dicat. Nos in prima disputatione iam concessimus, esse in hac oratione apostoli haecenus aliquid insoliti, vt exemplum plane simile in S. litteris non occurrat. Sed ne quidem perfecta similitudine hac in re opus est, si aliis idoneis argumentis probari potest, rem narratam ipsi Paulo contigisse. Fac ergo, esse in hac re aliquam difficultatem, quae nos ad OEDERI sententiam sequendam aliquo modo impellere possit, ex altera tamen parte difficultates longe plures et maiores occurrunt, quae illam premunt minusque probabilem reddunt; id quod attento lectori liquere putamus, si omnia illa in vnum conferat, quae in disputatione I. in medium protulimus. si itaque vtraque sententia difficultates suas habet, comparatione instituta videndum est, ex vtra parte minores sint. Quod si fiat, communem sententiam vincere plane credimus.

VI.) Quae (p. 38. sqq.) de notione verborum *εκτος της σωματος* disputat OEDERVS, quae sicuti et similes mortem necessario significant, quam infirma sint, in disput. I. (p. 33. sqq.) satis

ostendimus, quippe ad quae conuellenda dicta ab ipso nihil valent. In praesenti ad supplenda ea, quae de formula *εν σωματι ενωτες* obseruauimus, hoc adhuc adiungere placet, eam ipsam, quantum recordamur, semel tantum in scriptis N. T. occurrere, capite scilicet XIII, ep. ad Ebraeos, vbi apostolus (comm. 3.) recordamini, inquit, *vincitorum, tamquam vna vincti, male adfectorum, tamquam et ipsi vites εν σωματι existentes in corpore.* Qui locus pariter id, quod a nobis dictum est, confirmat, formulam *ενωτες εν σωματι* similesque in scriptis N. T. nunquam de noua coniunctione animi cum corpore, quae in resurrectione a mortuis ad statum gloriosum fit, usurpari, quemadmodum OEDERVS illam in historia raptus Paulini interpretatur, sed semper significare statum huius vitae ante statum futurum aeternum.









DISPUTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA  
POSTERIOR

DE

RAPTUS ET CRUCE  
PAULI

VNA CVM BREVI APPENDICE AD PRIOREM  
PERTINENTE.

---

QVAM  
PRAESIDE

VIRO SVMMÆ REVERENDO EXCELLENTISSIMO  
DOCTISSIMO

IOANNE GEORGIO KNAPP

THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.

D. SEPT. A. MDCCCCLII.

IN REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

CHRISTIANVS ALBERTVS DOEDERLIN

OETTINGENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS ORPHANOTROPHEI.

